UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. I. Miraculorum B. Jacobi de Marchia in ordine & ad effectum decernendæ Canonizationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72304

Visual Library

CONSILIORUM R. P. FRANCISCI SCHMALZGRUEBER SOCIETATIS JESU.

TOMUS SECUNDUS.

CONSILIUM I.

In Causa Canonizationis Beati Jacobi de Marchia,

super dubio, an constet de miraculis, & horum relevantia, quæ supervenerunt post indultam eidem Beato venerationem, ad effectum decernendæ eidem Canonizationis.

SUMMARIUM.

1. *seqq. Vitæ compendium.*
5. *Miracula ad examen proposita.*
6. *sepq.* Miraculum I. & II. *Incorruptio & flexibilitas corporis.*
9. *seqq. Opponuntur varia.*
21. *Asseritur incorruptio Beati corporis,*
22. *Nullo humano artificio procurata.*
23. *Sufficienter constat de incorruptione & flexibilitate corporis:*
24. *Quæ necessariò est adscribenda miraculo:*
25. *Et passim pro tali habetur in causa Canonizationis.*
26. *Continuatio incorruptionis & flexibilitatis est novum miraculum.*
27. *seqq. Respondetur ad argumenta opposita.*
28. *Licèt unus testis sit magis accuratus, quàm alter, non tamen discordes redduntur, dummodo non discrepent in substantialibus.*
29. *Miraculum est, si vel humiditas non inducat putredinem: vel deficiente humiditate corpus non solvatur in cineres.*
30. *Cerebrum maximè putredini obnoxium.*
31. *Cadavera, quæ naturaliter manent integra, vel sunt rigida, vel non incorrupta.*
32. *Nullum apparet vestigium inbalsamationis.*
33. *Incorruptio & flexibilitas à principiis contrariis proveniunt, adeóque non sine miraculo conjunguntur.*
34. *Habentur sufficientia argumenta veræ flexibilitatis.*
35. *Cerebrum cadaveris conservari non potest liquore per os infuso.*
36. *Effectus etiam in conservari miraculosi semper novam merentur mentionem.*
37. Miraculum III. *Ex sacro B. Jacobi corpore spirat mira fragrantia.*
38. *seqq. Contra hanc varia opponuntur.*
41. 42. *Bonus odor corporum, qui naturaliter spirare non potest, est indicium sanctitatis.*
43. *Qualitates odoris, ut hic habeatur pro supernaturali:*
44. *Istæ reperiuntur in odore, qui promanat de corpore B. Jacobi.*
45. *Et de hoc abundè constat.*
46. *Affecit hic odor etiam manus & strophia præsentium per longum tempus:*
47. 48. *Et excessit omnem odorem naturalem.*
49. *seqq. Dissolvuntur argumenta opposita.*

56. *seqq.* Miraculum IV. *Civitas Neapolitana liberatur ab incendio Vesuvii.*
59. *seqq. Argumenta, quæ dubium hoc miraculum reddere videntur.*
65. *Liberatio hæc meritò inter miracula numeratur:*
66. *Et B. Jacobi patrocinio adscribitur:*
67. *Ac de eo sufficienter constat.*
68. *Etiam adhibitis mediis naturalibus nonnunquam patrantur miracula.*
69. *Etsi S. Januario tribui possit initium liberationis, B. Jacobo tamen debetur ejus complementum.*
70. *Conciliantur dicta Testium:*
71. *Quorum concordia est attendenda quoad substantialia.*
72. *Quilibet major effectus potest testificari de iis, quæ vidit etiam in pupillari ætate.*
73. *Ad miraculum sufficit grave periculum instantaneè esse depulsum, licèt remaneant aliqua vestigia.*
74. *seqq.* Miraculum V. & VI. *Instantanea liberatio à cœcitate, & hujus reincidentia.*
82. *seqq. Argumenta, quæ obstare videntur.*
88. *Sanatio est abundè probata:*
89. *Debétque haberi pro miraculosa.*
90. *Nam fuit vera cœcitas,*
91. *Bis in instanti depulsa,*
92. *Non intervenientibus motibus seu spontaneis seu criticis, ab arte, vel casu procuratis.*
93. 102. *Debet illa adscribi intercessioni B. Jacobi.*
94. 95. *Communis omnium persuasio de hoc vel duplici, vel triplici miraculo.*
96. *Ad probationem per testes non requiritur, ut examinentur omnes, qui sunt de facto informati.*
97. *Omnis interpretatio capienda est ad testium dicta à mendacio salvanda.*
98. 99. *Cœcitas hæc vel fuit incurabilis, vel saltem difficilis curationis, consequenter instantanea curatio est miraculosa.*
100. *Remanentia vestigia fidem conciliant miraculo: & quæ de novo accidunt, non tollunt ejus meritum.*
101. *Ophthalmia non curatur per lacrymas.*
103. *seqq.* Miraculum VII. *Instantanea sanatio ab apostemate & contractura in brachio.*
106. *seq. Rationes dubitandi de hoc miraculo.*
111. *Rationes pro hoc miraculo.*
112. *Post adhibita frustra remedia, miraculo debet adscribi instantanea sanatio.*
113. *Et pro tali fuit habita præsens sanatio ab omnibus.*
114. *Non obest causa, si probationes, quæ juvare possent, non præstò sint.*
115. *Tres apostematum species.*
116. *Dictio* Circiter *capit latitudinem.*
117. *Qui de morbo, & secuta valetudine est testis de visu, censetur etiam talis esse de sanatione intermedia, quæ tam brevi tempore naturaliter fieri nequivit.*
118. *Quamvis morbus non sit incurabilis, instantanea tamen sanatio est miraculosa.*
119. *Censura de hoc miraculo.*
120. *seqq.* Miraculum VIII. *Instantanea sanatio ab inveterata epilepsia.*
123. *seqq. Opponuntur aliqua contra hoc miraculum.*
128. *seqq. Rationes pro miraculo.*
134. *seqq. Respondetur ad argumenta opposita.*
138. *Judicium pro veritate hujus miraculi.*
139. *seqq.* Miraculum IX. *Sanatio instantanea ab ariditate brachii & manûs.*
145. *seqq. Opponuntur argumenta contra hoc miraculum.*
154. *Morbus iste erat Paralysis perfecta, complicata cum convulsione:*
155. *Adeoque, si non incurabilis, saltem difficillimæ curationis:*
156. 157. *Et ad intercessionem B. Jacobi instantaneè curatus.*
158. *Peritis juxta principia suæ scientiæ pronuntiantibus adhibenda est fides.*
159. *Etiam ad probanda miracula sufficiunt duo testes.*
160. *Discrepantia testium omni modo, etiam impropriando verba illorum, in concordiam redigi debet.*
161. *seqq. Discordia testium in accidentalibus non alterat substantiam facti.*
165. *Miraculum est, si malum naturale supernaturaliter inflictum supernaturaliter tollitur.*
166. 199. *Liberatio ab obsidente dæmone, si absque exorcismis fiat, habetur pro miraculo.*
167. *In fœminarum morbis non opus est ad dæmonem confugere.*
168. *Miracula aliqua transcendunt naturæ potentiam tantùm secundùm quid.*
169. *Fertur judicium pro veritate hujus miraculi.*
170. *seqq.* Miraculum X. *Instantanea sanatio ab attractione brachii & manûs.*
173. *Opponitur defectus sufficientis probationis.*
174. *seqq. Argumenta & responsiones postulatorum pro hoc miraculo.*
179. *Judicatur, miraculum non esse satis probatum.*
180. Miraculum XI. & XII. *Sanatio à nativa inversione pedum, & angina.*
184. *Opponuntur dubia contra hæc miracula.*
194. *seqq. Argumenta postulatorum pro his miraculis.*
195. *Angina licèt sit naturaliter curabilis, potest etiam fieri lethalis & incurabilis, ùt alii morbi.*
196. *Conversiones partium solidarum, judicandæ sunt miraculosæ.*
197. *Sancti pro sanatione unius morbi invocati, sæpe conferunt plures gratias.*
198. *Non opus est examinare omnes de re informatos.*
200. *Vestigia morbi remanentia non derogant excellentiæ miraculi.*

201. *Prava ossium structura, & partium collocatio non potest emendari artis præsidiô.*
202. *seqq. Conciliantur dicta testium.*
205. 207. *Majus videtur miraculum, si sanitas restituatur, retenta adhuc innoxiè malignitate.*
206. *Miraculo adscribitur, si viribus prostratis id fiat, quod naturaliter potuisset fieri viribus integris.*
208. *Judicatur non adesse omnia requisita ad miraculum.*
209. *seqq. Fertur judicium ultimatum de omnibus propositis miraculis, & in Summam colliguntur hucusque dicta.*
217. *Decretum Congregationis Rituum.*

VITÆ COMPENDIUM.

1. Eatus Jacobus de Marchia S. Joannis de Capistrano Socius, & S. Bernardini Senensis discipulus, natus est in Agro Picæno, oppido Montis Brandoni, mense Septembri 1391. Cùm illum in utero adhuc mater gereret, Prophetam egit. A prædonibus tum fortè occupabatur oppidum, ubi domum habebat: affertur nuntium hoc matri, tum in itinere, nescio quo, existenti, quæ timore justo perculsa, metuens, ne etiam domus illius periculum pateretur, reditum parabat: cùm ecce Jacobus ex materno utero allocutus est matrem, hortatúsque, ne sollicita esset; quia domus remansura esset illæsa, atque intacta, prout eventus ostendit. Cùm pareret eum mater lucidissimo splendore, adinstar sideris super tectum pendente, domus illustrabatur. In Baptismo Dominicus appellatus, cùm adolevisset aliquantùm, gregi pascendo operam dabat: quia tamen hunc quotidie à lupa infestari expertus est, hoc relicto, in terram Offidæ ad Sacerdotem quemdam consanguineum suum sese contulit, à quo latino idiomate instructus, deinde missus Asculum ad discendas humaniores litteras, ac postea Perusium, in jurisprudentia erudiendus. In hac ita profecit, ut eundem Patritius quidam Perusinus arduis domus suæ negotiis, Florentiæ gerendis, præponere non dubitaret. Verùm his quàm citissimè valedixit; nam animæ suæ negotio potiùs invigilandum ratus, ad Ordinem S. Francisci de Observantia se recepit. Tyrocinium auspicatus est festo S. Jacobi, cujus proinde etiam nomen accepit; Professionem edidit anno 1416. cùm annum ageret vigesimum quintum.

2. Sacris Ordinibus initiatus, prædicando verbo DEI totum se dedit, sui tamen interea non oblitus; majorem enim noctis partem, quam alii quieti dabant, in oratione, & castigatione corporis sui consumebat: semel tantùm in die, & quidem paucis, incoctisque fabis, & insuavibus herbis, cùm verò deliciari volebat, simplici pane, & aquâ vescebatur: carnem per annos triginta nunquam degustavit, donec ob senectutem, assiduósque labores, debilitato stomacho, sic jubente S. Bernardino, ut in laboribus perdurare posset, aliquid carnis, quod tamen parcissimè fecit, accipere coactus est. Per viginti circiter annos ferream super nudo corpore gestavit loricam, quam deinde Confessarii jussu, in asperrimum mutavit cilicium: à pœnitentiis, vigiliis, & mortificationibus, quoad vixit, nunquam destitit, sed auxit potiùs hanc, quam in seipsum exercebat, asperitatem.

A Martino V. socius adjunctus est sancto Joanni Capistrano adversùs pestiferam Fraticellorum sectam, deinde à Nicolao V. contra eos inquisitor deputatus, plures illorum prædicationibus, suasionibus, doctrinâ atque constantiâ à pessimo vitæ instituto reduxit, alios in malo pervicaces, necessario justitiæ rigore punivit, atque coërcuit. In Bosniam semel, atque iterum à Ministro Generali totius Seraphici Ordinis Visitator missus, varios abusus, qui ibidem circa Observantiam regularem irrepserant, magno labore sustulit. Varias diversorum Pontificum jussu Legationes obiit, inter quas præclarissima illa, quando ad illas partes reverti jussus, ut Manichæorum, Hussitarum, & Thaboritarum errores compesceret, vitæ sanctimoniâ, doctrinâ, & labore assiduo 50. millia Hæreticorum paucis mensibus ad meliorem frugem reduxit, & una die ducenties mille Infideles baptizavit. Varias Italiæ, Germaniæ, Croatiæ, Illyriæ, Bohemiæ, & Poloniæ regiones peragravit, semper cum maximo animarum fructu. 3.

Latè itaque divulgatâ ejus sanctitatis, ac prudentiæ famâ à pluribus petitus est Principibus, & primò quidem à Sigismundo imperatore, qui ejus consilio, & opere usus est in bello adversùs Turcas; à duce Mediolani, à quo Mediolanum accitus, unica concione triginta sex infami quæstui dicatas mulieres ad pœnitentiam reduxit; à Ferdinando Neapolis Rege, ubi post plurima edita prodigia, & virtutum exempla, nonagenario proximus, sicut prædixit, meritis plenus vitam clausit 28. Nov. 1476. Quatuordecim dierum spatio, ut fidelium devotioni satisfieret, jussu Caroli ducis Calabriæ, in Ecclesia S. Mariæ novæ, ejusdem corpus inhumatum 4.

extitit, absque ulla sui labe, Deo sanctitatem famuli sui plurimis signis, atque prodigiis commonstrante. Leo X. de sanctitate Viri adeò persuasus erat, ut fratribus Conventûs ad S. Mariam novam concesserit, indultis etiam pro qualibet vice indulgentiis unius anni, & 40. dierum, ut post Completorium ad ejus sepulchrum accedere, ibique in ejus honorem hymnum cum versiculo cantare possent; sed pluribus impeditus negotiis, quæ tempora illa calamitosa affatim suggerebant, ejus Canonizationis causam ordiri non potuit, donec tandem, re in S. Congregatione examinatâ, Urbanus VIII. eximii servi Dei virtutibus, & miraculis permotus, sub die 12. Aug. 1624. eundem inter Beatos retulit, cum licentia, ut Missa & Officium de eo, tanquam de Confessore non Pontifice in Ecclesia S. Mariæ novæ, ubi corpus illius asservatur, dici posset, quod postea ad universum Ordinem Franciscanorum, & deinde ad civitatem, & diœcesin Neapolitanam, inter cujus Patronos, publicis conspirantibus votis, adlectus est, dici posset.

5. Post indultam ita venerationem publicam, crevit in immensum erga illum populorum devotio, prout tabellæ votivæ, in Capella ipsius appensæ, & oblationes largissimæ fidelium monstrant. Quadraginta ferè quot diebus in hac & reliquo templo in honorem ipsius celebrantur Missæ: ejus festa dies 28. Nov. omnium Ordinum, ipsius etiam Nuntii Apostolici, & Archiepiscopi concursu agitur. Quibus permotus Papa Innocentius XII. Processum super ejusdem Canonizatione 1697. reassumi voluit, quo anno facta revisione operum, quæ ipsi tribuebantur, signatâque sub die 27. Sept. 1698. commissione reassumptionis causa, fuerunt deinde 7. Febr. 1699. à sacra Congr. annuente prædicto Pontifice concessæ litteræ remissoriales ad effectum probandi in civitate Neapolitana, ejúsque diœcesi Miracula ibidem post indultam venerationem patrata: quod ubi factum, sub die 1. Oct. 1701. decretum fuit, *Constare de validitate Processûs*, ut adeò nunc discutiendum restet de relevantia ejusdem. Inter innumera duodecim præcipuè Miracula ad examen proposita sunt. 1. Incorruptionis, & flexibilitatis corporis Beati. 2. Conservatio ejusdem corporis in isto statu à die obitûs usque ad præsentem diem. 3. Odor profluens ex prædicto corpore Beati. 4. Liberatio civitatis Neapolitanæ ab incendio Vesuvii. 5. & 6. Instantanea liberatio Nicolai Gambacurtæ à cœcitate iterata. 7. Instantanea sanatio Ignatii Avelloni ab apostemate in brachio dextro. 8. Instantanea sanatio Liborii Avelloni ab inveterata Epilepsia. 9. Instantanea sanatio Victoriæ Sannellæ ab ariditate, attractione, & stupiditate brachii sinistri, & manûs ob partialem apoplexiam, sive veram, & perfectam Paralysin. 10. Instantanea sanatio Luciæ Tramæ Pinsschæ ab attractione brachii dexteri, & manûs ob apoplexiam, sive perfectam Paralysin. 11. & 12. Sanationis Joannis Barberini à nativa pedum inversione, & angina.

MIRACULUM I. & II.

Incorruptio, & flexibilitas corporis Beati, hujúsque in isto statu usque ad præsentem diem conservatio.

BEatus Jacobus, ut *Num.* 4. dictum est, ad Superos evolavit 28. Nov. 1476. 6.
Corpus expositum mansit in Ecclesia S. Mariæ novæ, ut devotioni fidelium satisfieret, per 14. omnino dies, absque omni labe, & corruptione; tum illatum communi fratrum sepulturæ, post annum verò, ita volente Sixto IV. in honorificentiorem locum translatum. Anno 1609. cùm ageretur de ejus Canonizatione, authoritate Apostolica ab Episcopo Nolano, & Viciequensi cum interventu quatuor Medicorum, & unius Chyrurgi instituta est prima inspectio sacri corporis, atque inventum est post tantum, scilicet 133. annorum spatium prorsus incorruptum, prout testimonia, & attestationes eorum, qui inspectionem istam fecerunt, docent. Secutâ Ann. 1624. 12. Aug. Beatificatione, positum est in magnifico sacello, honoribus ejusdem Beati constructo, in Ecclesia S. Mariæ novæ prædicta supra aram majorem in tumba marmorea, in quam medio crystallo, seu vitro prospectus datur. Clauditur tumba hæc in alia arca lignea, quæ subinde devotioni inspicere volentium aperitur. In hac tumba hodiedum requiescit.

Cùm, ita desiderantibus magnis Principibus, & votis populorum, ad percrebrescentiam Miraculorum, quas Deus ad commonstrandam gloriam Beati operabatur, reassumeretur Processus super Canonizatione ejusdem, anno 1701. 2. Junii ex Decreto S. Congreg. Rit. ab Eminentissimo Cardinali Cantelmi Archiepiscopo Neapolitano, & Episcopis Fundano, & Massæ-Lubrensi, tanquam Judicibus delegatis, in præsentia duorum Sub-Promotorum fidei, unacùm sex peritis Physicis, tribúsque testibus ad hoc specialiter vocatis, ac Notario instituta est secunda inspectio dicti sacri corporis, & ab his post 91. annos à prima inspectione lapsos, repertum est iterum incorruptum, oculis turgidis, & mollibus, qui tamen post mortem citò in se colligi, & corrugari solent teste Avicenn. l. 3. sent. tract. 4, c. 21. necnon cum pilis in facie, acsi duobus diebus antea tonsi fuissent, ac cum quodam 7.

ru-

rubore in vultu, qui nequaquam in mortuo ultra quatuor circiter dies conservari potest: totum denique corpus erat incorruptum, molle, & tractabile, caput sine ulla apertura, oculi clausi suis palpebris, collum, brachia, manus, pedes, & digiti, in quibus etiam ungues firmiter infixi, flexiles, atque ad omnem motum pro arbitrio ea tractantis, dirigibiles.

8. Solummodo repertum est 1. deesse una costa, quæ pro Reliquia fuit data Magistratui civitatis Neapolitanæ, & Statuæ argenteæ inclusæ asservatur in Ecclesia Cathedrali. 2. Deficere notatum est os naviculare pedis: de quo in processu non fit mentio, quò devenerit. 3. Nasi summitas pariter ab aliquibus putabatur deficere; sed alii notârunt solùm esse contractam, & arefactam, sicut etiam fuerunt auriculæ. 4. Articulus humeri sinistri observatus est à suo loco aliquantùm dimotus esse, cujus causam nonnulli ex peritis, qui inspectionem fecerunt, putârunt fuisse, quòd costa, de qua paulò antè, ex eo latere exempta non adeò dextrè fuerit. 5. Corpus denique inventum est absque visceribus, cujus cavitates apparuerunt gossipio repletæ: exemptionis istorum factæ indicium dedit futura in imo ventre, notata ab omnibus peritis, qui in hac visitatione sacrum corpus tractârunt. His positis, tres quæstiones examinandæ veniunt. 1. Utrum asserta incorruptio, & flexibilitas sit adscribenda miraculo? 2. An novum miraculum sit harum continuatio? 3. An pro Canonizatione facienda allegari possit.

Quæstiones examinandæ.

9. Rmus Promotor fidei sequentes proposuit rationes dubitandi. 1. In priori visitatione sacri corporis non videtur incorruptio hæc fuisse agnita pro supernaturali, & miraculosa; aliàs S. Congregatio in Decreto Beatificationis, 20. Maji 1623. edito ejusdem meminisset. Atqui nullâ hujus mentione factâ, solùm approbatæ ibidem inveniuntur virtutes, ac bona supernaturalia, cum miraculis in genere. Eandem etiam tacet Fr. Venantius à Fabriano, Beati in vita socius, in sua Epistola ad Ferdinandum III. Regem Catholicum; & silentio etiam præterit Wadingus, & Barberius diligentissimus aliàs vitæ Beati scriptor, cùm tamen narraverint Miracula alia maximo numero, intercessione ejusdem patrata.

Rationes dubitandi.

10. 2. In Processu novissimo testes non omnino concordant; nam Sacrista Capellæ Beati dicit, præter costam unam, & acumen nasi, ac particulam carnis de pectore Beati, quæ pro Reliquia transportata est in castellum montis Brandone patriam Beati, nihil aliud deficere; & tamen constat ex aliis testibus, quòd in gutture deficiat pars corrosa per animal putridum, vulgò scarafone, de qua sermo est in Processu antiquiore Ann. 1609. item, ut *Num.* 8. dictum est, deficit os naviculare in pede dextero, qui defectus recognitus fuit in ultima visitatione.

3. Etiam reliquæ corporis partes videntur carere incorruptione; nam ex depositione testium peritorum habetur, quòd nervi, musculi, & reliqua caro inventa sit sicca, & exsucca. Est autem exsiccatio juxta Aristotelem 4. *Meteor. c.* 2. *text.* 6. 11.

Corruptionis aliqua species. Hinc Galenus 5. *de Simpl. c.* 5. *Non quidquid*, inquit, *corrumpitur, putrescere dicimus, sed quibus id cum fœtore accidit*: & sic præter putrefactionem, aliam corruptionis speciem agnoscit, nempe per exsiccationem, quâ resolutis partibus humidis, & volatilibus corpus ad marcorem perducitur: de quo marcore idem Galenus *l. cit. c.* 1. *Marcor*, ait, *est viventis corporis præ siccitate corruptela.* In hunc sensum ficus passæ, aliique fructus, imò & animalium carnes, fumo, aëre, vel sale exsiccatæ, quæque humidioribus partibus paulatim absumptis, ad diuturnam conservationem disponuntur, imputridæ quidem dici possunt, non autem incorruptæ.

4. Si verò incorruptio accipiatur, prout excludit solam putrefactionem, incorruptum quidem perstitisse hucusque dici poterit corpus Beati, sed an miraculo hoc factum sit, meritò dubitari potest; cùm enim senex fuerit nonagenario proximus, jejuniis, laboribus, pœnitentiis, atque ultimo senio penè exanguis, mirum non videtur esse, quòd corpus ejus post mortem non computruerit, sed potiùs marcoris corruptionem sit passum. Cui concordat unus ex testibus peritis ad inspectionem ocularem adhibitis; ait enim post exsiccationem omnimodam corporum incorruptionem eorum esse naturalem posse. Addit quidem, se judicare, in præsenti casu supernaturalem esse; sed antequam S. Congregatio huic testi consentiat, & incorruptionem istam inter Miracula referat, videtur necessarium esse, ut examinentur causæ, ob quas peritus iste supernaturalem illam esse existimet, utrum scilicet concludentes sint. 12.

5. Ex corpore Beati extracta sunt interiora, & vacuitas repleta gossipio, prout inventum est in ultima visitatione: quod verisimiliter factum est sub tempus mortis, cùm in Processibus, & Actis, etiam novissimis nulla habeantur documenta de tempore, quo illa extracta sunt. Potest autem exenteratio, & repletio ex gossipio non parum conferre ad impediendam putrefactionem, quippe quibus residua humiditas abstergi poterat. Imò exenteratio hæc suspicionem præbet, quòd partes exteriores, contra putrefactionem per potentes liquores aromaticos, & balsamicos 13.

fuerint perlinitæ, & delibatæ. Posse autem hujusmodi perlinitionibus incorruptibilia reddi corpora, exploratum est apud Medicos, & de re medica scriptores, qui etiam ad praxim documenta dant, quomodo hæ fieri debeant. Et hujusmodi cadaverum exempla apud AA. leguntur plura, ut Adonizæ servi Salomonis post duo millia annorum reperti, Cleopatræ post quingentos annos, Tulliolæ Ciceronis filiæ in via Appia sub Paulo V. Pont. & alia sexcenta, de quibus constat, vel probabile est balsamis fuisse condita.

14. 6. Quòd verò similis inbalsamatio etiam in casu nostro intervenerit, suspicionem præbet, quòd gossipium, repertum in thorace corporis Beati fuerit inventum in quadam parte aliqualiter fuisse rubricans, nimirum à perlinitionibus unguentorum pro inbalsamatione adhibitorum. Suspicionem auget, quòd clavis arcæ, in qua reconditum est Beati corpus, usque ad annũ 1609. semper extitit penes Religiosum, Capellam Beati Sacristam, juxta depositionem testis, qui per viginti annos officio isto functus est, ut proinde suspicio sit, per P. Sacristam, vel per alium ab eo dependentem intra hunc annorum plurimorum decursum hujusmodi perlinitiones corporis fuisse continuatas, & sic procuratam incorruptibilitatem. Imò

15. 7. Plurima habentur exempla, quibus cadavera etiam eorum, qui canonizari non merentur, absque ullo aromatum interventu, integra, & imputria permanserunt. Sic Tertullianus *libr. de anima c.* 51. allegat Platonem in Politica referentem cujusdam insepulti cadaver longo tempore sine ullo tabe servatum, nullo adhibito artificiali præsidio. Aliud consimile inventum cujusdam militis armati narrat Pausanias, qui ante 248. annos obierat. In templo S. Mariæ Montis Virginis Monachorum S. Benedicti in Civitate Cavæ refert Sanctorellus conspici cadavera ad multa sæcula incorrupta, prout etiam in urbe Chioviæ templo narrat Camerarius. Item Persarum cadavera ad longum tempus nullo artis auxilio servata tradit Rodingus ex Ammiano Marcellino; & plura alia habentur exempla apud Chormanum, Casparum Areles, & alios. Referunt etiam AA. quædam cadavera incorrupta diu servari propter situs, vel aëris intemperiem, in quo asservantur, item tactu fulminis, humidum putrefactivum exsiccantis: imò teste Beda *de Nativ. Infant.* fama est, corruptioni non subjacere quosdam ob dierum, quibus nati sunt prærogativam, & hujusmodi dies ajunt esse 27. & 30. Januarii, item 21. Februarii.

18. 8. Æquè parùm videtur Miraculo tribuenda flexibilitas in corpore Beati à peritis in secunda visitatione reperta; nam inprimis videtur ista tantùm fuisse apparens, cùm idem corpus, ut jam dictum est, intus fuerit loco viscerum impletum gossipio, ut proinde facilè moveri potuerit instar vesicæ, quæsi turgida sit, ad tactum cedit. Deinde testes in asserenda hac flexibilitate variant; nam septimus testis eam restringit ad actum, & tempus, quando mutatur Habitus, & Capuccium Sancti; nonus ait, tunc corpus Beati esse flexibile, quando accedit jussus Superioris imperantis ex obedientia. Testis 12. & 14.tus ajunt Cardinalem Ursinum, hodie Sanctissimum Dominum nostrum Benedictum XIII. cùm in visitatione sepulchri experientiam fecisset de flexibilitate corporis, cum admiratione dixisse, *Hoc sufficeret ad convertendos omnes Hæreticos in mundo*: quæ verba non videntur omnino concordare cum declaratione ejusdem in Epistola ad Promotorem fidei, ubi tantùm fatetur, se dixisse, quòd hoc sacrum corpus sufficeret ad confundendam proterviam Hæreticorum, qui insurgunt contra cultum sacrarum Reliquiarum.

9. Non videtur esse vera flexibilitas hujus 19.
sacri corporis etiam ex eo capite, quòd nonnulli ex testibus deponant, quòd elevato uno membro, eleventur etiam cætera vicina membra; istud enim videtur repugnare veræ flexibilitati, quippe cujus ratio videtur consistere in hoc, quod elevato uno membro cætera membra possint quiescere in suo pristino situ: ut adeò nec flexibilitas, nec incorruptiò pro vero Miraculo haberi possint, flexibilitas quidem ob hoc, & præcedens argumentum; incorruptio autem ob argumenta *Num. 9. & sex consequentibus* allata, præsertim ob suspicionem adhibiti remedii præservativi contra putrefactionem. Neque videtur obesse, quòd caput repertum sit integrum, & absque futura denotante factam incisionem, & extractionem cerebri, quod in inbalsamatione, tanquam præ cæteris corruptioni subjectum, præ omnibus solet extrahi; quia fortasse per os immitti potuit aliquis liquor adeò efficax, & acutus, ut ejus virtute, & activitate cerebrum exsiccatum fuerit absque extractione. Denique

10. Incorruptio hæc, & flexibilitas non 20.
poterat tum temporis, quando Decretum Beatificationis editum est, sacræ Congregationi fuisse ignotum: Incorruptio quidem; quia de hac eadem S. Congregatio jam tum specialem voluit sumere informationem: flexibilitas autem; quia non est credibile, quòd ea primùm post dictam informationem, & inspectionem S. corporis supervenerit, quippe quod, si priùs non fuisset flexibile; ex tanto tempore centum, & plurium annorum debuisset potiùs lapidescere. Vel ergo tunc S. Congregatio eandem incorruptionem, & flexibilitatem agnovit pro miraculosa, vel non. Si hoc secundum, neque nunc pro miraculosis haberi

beri possunt; quod enim naturaliter primò factum est, per easdem naturæ vires continuari etiam potest. Si primum, hæc duo Miracula, utpote valde conspicua, jam censentur comprehensa in Decreto Beatificationis, ubi S. Congregatio dixit, constare de Miraculis tam in vita, quàm in morte: consequenter pro Canonizatione non ampliùs afferri possunt, utpote pro qua admittuntur solùm Miracula nova, quæ post Beatificationem, & cultum indultum supervenerunt.

21. Decisio Quæstionum. Verùm his non obstantibus, DICENDUM primò Corpus B. Jacobi dici potest verè incorruptum; nam ut cum aliis Medicus Sinibaldi, à S. Congregatione in Peritum electus, distinguit, duplex est corruptio, una per siccitatem, altera per putrefactionem. Primo modo dictum sacrum corpus non potest dici omnino incorruptum; quia, ut ex depositionibus testium Peritorum, ad secundam inspectionem adhibitorum, constat, nervi, musculi, & reliqua caro inventa est sicca, & exsucca, non quidem omnino (nam reperta est tactui cessilis, & ipsa membra flexibilia, quod unctuosæ cujusdam humiditatis, in sacro hoc corpore superstitis, indicium est) & hinc, si corruptio hoc primo modo accipiatur, aliqualem duntaxat corruptionem passum est. Si verò secundo modo accipiatur incorruptio, prout denotat integritatem exclusivam putrefactionis, habendum est hoc sacrum corpus pro verè corrupto; nam nullum omnino in eo repertum est signum putrefactionis; sed reperitur integrum etiam cum partibus aliàs facilè corruptibilibus, nempe cerebro, & oculis, cum pilis in facie, & unguibus firmiter adhuc inhærentibus suis digitis, cum colore rubro in vultu, quæ profectò qualitates, & signa cadaveri corrupto, præsertim post tantum tempus non conveniunt: insuper dictum corpus etiam est tractabile, & flexibile, & sæpissimè à Religiosis movetur, elevatur, antiquis vestibus exuitur, novis induitur, absque ulla partium disjunctione, vel incineratione. Et licèt nasi apex ab aliquibus putabatur deficere, tamen, ut *Num.* 8. notatum est, inventus est solùm contractus, & arefactus, ab aliis penitiùs eum considerantibus.

22. DICENDUM 2. Incorruptio hæc nullo humano artificio est procurata. Nam, ut Peritus, qui corpus inspexit, affirmat, plusquàm probabile est, nunquam illud balsamo, vel alio condimento, à putredine præservante fuisse conditum: cujus assertionis suæ rationem dat; quia solus inferior venter dissectus apparet, cùm tamen in cadaverum inbalsamatione thorax quoque, & caput secetur, atque inbalsametur, quippe sine qua inbalsamatione cadavera naturaliter à putredine præservari non possunt. Deinde nullæ inbalsamationis notæ in sacro hoc corpore uspiam apparent. Odor ille, quo Beati corpus identidem fragrat, ejusmodi balsamationis nullum præbere potest indicium; nam 1. Odor iste nulli alteri odori naturali, vel artificiali similis est, ut omnes, qui odorem hunc perceperunt, testantur. 2. Pater Sacrista in depositione sua affirmat, toto undecim annorum spatio, quo fungitur isto officio, licèt sacrum corpus illud exuendo, & induendo sæpius tractaverit, nunquam se invenisse rem odoriferam in, vel extra sacrum corpus positam: quod confirmat Peritus, qui in secunda visitatione immisit manum suam profundè in vacuitatem corporis Beati, & attestatur, nec vestigium balsami, vel alterius cujusdam aromatis, quo corpus à putredine præservari posset, se reperisse, sed gossipium tantùm, quod nullum odorem habuit vel bonum, vel malum. 3. Ab experientia habetur, quòd odor balsami, & aromatum, quibus cadavera contra putrefactionem perunguntur, non duret ad tantum tempus, sed antiquata potiùs reddant odorem insuavem, & tetrum. Plura patebunt ex solutione objectionum. Interim

23. DICENDUM 3. Sufficienter constat de incorruptione hac, & flexibilitate. Nam 1. sic inventum est in utraque, præsertim secunda inspectione oculari, prout testantur juratò omnes, qui actui illi fuerunt præsentes. 2. De eadem incorruptione, & flexibilitate deponunt etiam alii complures testes, qui corpus sacrum sæpè viderunt, & respectivè tractârunt manibus suis: inter quos 3. eminet P. Sacrista *Num. præced.* memoratus, qui sacrum corpus, ut ibidem dictum est, sæpissimè vidit & manibus suis tractavit, quando (quod sæpius per singulos annos factum est) mutabatur Capuccium, vel quando Personæ illustres dictum corpus pro devotione sua observare desiderabant. Hic depositione sua dicta confirmat, & insuper addit, corpus quoad omnes partes esse flexile, nervos integros, & ad membra movenda idoneos. 4. Testis 12. & 14.tus dicunt, se vidisse corpus incorruptum quoad partes exteriores, & audivisse, quòd incorruptum sit ex integro: item se vidisse, quòd etiam sit flexile, in occasione, quando illud ostensum est Eminentissimo Cardinali Ursino, tunc Archiepiscopo Beneventano, nunc Sanctissimo D. N. Benedicto XIII. qui hoc viso, dixerit, *Hoc sufficeret ad convertendos omnes Hæreticos.* 5. Addit testis nonus, quòd ad vocem obedientiæ, quam imponit P. Guardianus, quando pro vestibus antiquis volunt novas ei inducere, permittat sibi moveri brachia, pedes, & caput, quin fiat aliqua dislocatio, vel ruptura. Ut adeò in tanto numero testium nullum sit reliquum prudens dubium de veritate rei.

DI-

24. DICENDUM 4. Incorruptio hæc, & flexibilitas necessariò adscribenda est Miraculo. Nam ex naturæ necessitate omnis homo post mortem vergit primò in corruptionem ex putredine, deinde in corruptionem ex siccitate, quâ ultima superveniente cessant putredinis accidentia, scilicet vermes, tabes, fœtores resolutis partibus humidioribus, & pinguioribus. Quotiescunque ergo naturalis putrefactio in cadavere non observatur, necesse est adesse impedimentum vel à causa supernaturali, vel ab alia causa naturali putrefactioni contraria. Naturalia, & universalia putrefactionis impedimenta maximè tria sunt. 1. Congelatio; nam congelando frigus nivis, aut venti Aquilonaris impedit calidi transpirationem, aut fermentationem, quæ dissolutionis origo est. 2. Petrificatio: quod aliquando fit per venenum, prout legitur

apud Alexandrum Tassonum *libr. 9. quæs. 2.*

de muliere Veneta, quæ ex venenato pomo comesto mortua, tota ita obriguit, ut in petram versa videretur, & nec gladio, nec cultro venter ejus incidi potuerit; aliquando etiam malignitate aëris, & sic refert

Aventinus libr. 7. Annal. Boicor.

Anno 1343. ex terræ motu plures, quàm 50. rusticos, qui vaccas tunc emulgebant, cum ipsis vaccis extinctos obriguisse, & corpora in salinas, ac lapideas statuas redactas fuisse. 3. Exsiccatio: & sic exsiccando putredinem arcent aromata, sales, fumus, ignis, Boreas, acetum, calx, sulphur &c. In B. Jacobi corpore nihil ex his tribus suspicari possumus; nam congelationem & petrificationem excludit flexibilitas articulorum, & musculorum mollities. Sola ergo remanet exsiccatio: hæc autem non poterat comparari aromatum, aut alterius condimenti virtute; quia, ùt dictum est *Num. 22.* nullum istorum apparuit vestigium: neque hoc tribui potest qualitati terræ, in qua primò sepultum est; quia positum erat in communi Fratrum sepultura, ubi constat sepultorum aliorum corpora fuisse consumpta: nec denique causa potuit esse victûs ratio, quâ Beatus in vita usus est; nam hæc non expulit omnem humiditatem, quæ subjectum est putrefactioni aptum, cùm carnem, & maximè oculos molles reliquerit. Igitur necessarium est fateri, divina virtute hoc contigisse. Et sic pro miraculosa incorruptionem & flexibilitatem istam habuerunt omnes, qui corpus sacrum inspexerunt, & tractârunt.

25. DICENDUM 5. Incorruptio, & flexibilitas corporis diuturna, si nullo artificio humano procurata sit, passim in Beatificationum, & Canonizationum causis pro miraculosa habetur, prout tenent omnes de hac materia scribentes, & specialiter

Castellin. *de certit. glor. Sanct. c. 14. n. 17.* Raynaud. *de incorrupt. cadaver. c. 3. n. 7.* Paul. Zach. *qq. Medic. Leg. l. 4. tit. 1. q. 10. n. 15. pag. 319.* Bordon. *Controv. Moral. 23. sub n. 24. v. Incorruptio.* Pignatell. *tom. 1. consult. 442. n. 15. pag. 41.*

Eadem etiam passim Miraculo adscripta fuit ab Auditoribus Rotæ, prout videre est

in relatione S. Bonaventuræ apud Panuin. *p. 2. art. 5. fin.* S. Francisci Xaverii *Mirac. 1. post obitum* B. Petri Regalati *tit. de frequent. popul.* S. Paschalis Baylon. *Miracul. 3.* S. Isidori *Mirac. 1. post obitum* S. Theresiæ *tit. de exhum. Corp. prop. fin.*

Et ex hac maximum sanctitatis indicium resultare docet

S. August. *l. 4. Confess.* Castellin. *tract. cit. c. 6. n. 3.* Matth. *de Canoniz. Sanct. p. 4 c. 17. n. 1.* Contilor. *c. 14. n. 17.* Zacch. *q. 10. cit.* Reyes *q. 34. n. 26.* ubi addit, quòd *id libentiùs sit admittendum, si corpus* (prout in casu nostro) *etiam est flexile.*

Admirationem auget, quòd corpus Beati per integrum annum in communi Fratrum sepultura negligenter reconditum jacuerit, inde verò extractum frequentissimè tractetur, & moveatur occasione illud vestiendi, & ostendendi Personis qualificatis, à quibus tangitur, & palpatur, nec tamen partium unionem amittit, quod in simili pro maximo miraculo consideravit Card. Laur. *in 4. sent. tom. 4. art. 3. sub n. 35.*

26. DICENDUM 6. Continuatio incorruptionis, & flexibilitatis est novum Miraculum, adeoque allegabile in causa Canonizationis; quia cùm vis illa naturalis, quæ in corpore vivo repellit accidentia, ad ejus destructionem tendentia, per mortem jam evanuerit, aliter conservari corpus hujusmodi, nisi miraculo nequit, quo Principia corrumpentia inhibeantur ab activitate sua: consequenter quodcunque instans, quo corpus hujusmodi conservatur incorruptum, novum erit, & distinctum Miraculum. Et ita practicare consuevit S. Congregatio, quæ pro uno Miraculo separato, & distincto admittit incorruptionem, & pro alio permanentiam ejusdem Miraculi, ut in Canonizatione S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, in cujus Decreto, facto sub die 10. Sept. 1668. legitur, *Constare de quinque Miraculis ex tredecim allatis, & in discussionem adductis, videlicet de primo, & secundo continuationis incorruptionis, & fragrantiæ Corporis Beatæ &c.*

Superest, ut argumenta contra hoc duplex Miraculum *à Num. 9.* opposita dissolvantur.

27. Respondetur ad rationes dubitandi.

Ad primum. In prima Visitatione Sacri Corporis duo Physici, totidem Medici,

ci, & unus Chirurgus, tangentes, & olfacientes Beati Corpus, concorditer judicârunt, Corpus Beati ultra communem naturæ legem sic esse servatum, prout testati sunt tres Episcopi, in hac Visitatione tanquam testes adhibiti, cum aliis viginti testibus qualificatis, & ut plurimùm Religiosis, & Graduatis diversarum Religionum. Incorruptio, & flexibilitas in Decreto S. Congregationis & Bulla Beatificationis specificatæ non sunt, sicut nec alia Miracula: unde, sicut de his dubitare non licet, quòd tunc temporis fuerint sufficienter probata, ita nec de dicta Incorruptione, & flexibilitate. Frater Venantius in sua ad Ferdinandum Regem Epistola post recensita alia Miracula, non meminit Incorruptionis; quia cùm fuerit Socius Beati, & non constet diu illi supervixisse, non poterat de hac testimonium dare, cùm hujusmodi Miracula negativa certa reddi nequeant ab initio, sed verificentur solùm ex longa, & continua observantia,

ùt probat Matt. *de Canoniz. Sanct. p.* 3. *c.* 8. *n.* 14.

Wadingus verò in suis Operibus registravit expresè Commissionem reassumptionis Causæ, signatam à Paulo V. 1607. in qua continetur expressio Incorruptionis, & fortè latiùs se non extendit, quia non fuit à sede Apostolica recensitum. Et esto, quòd isti non agnoverint hoc Miraculum, non idcirco per hoc relevantia illius tollitur, cùm de eo constet per evidentiam facti, & per sensum visûs, & tactûs, qui simul uniti non possunt fallere, aut falli, prout demonstratum est in ultima Visitatione, & depositionibus testium.

28. Ad 2dum. Periti in Visitatione prima non dixerunt, quòd deficiat aliqua pars in gutture Beati, sed tantùm, quòd illud corrosum modicè visum fuerit: consequenter vera adhuc est depositio Sacristæ, dum testatus est, nullam partem essentialem deficere. Adde, quòd modica illa corrosio lapsu temporis per partium corrugationem, vel novam earum unionem, mediante unctuosa humiditate, quæ totum Corpus sacrum irrorare non desinit, potuerit resarciri, ita, ut in posteriore Visitatione à Peritis, Judicibus, & testibus, ipsisque Sub-promotoribus Fidei animadversa non fuerit. Similiter non pugnat, quòd idem Sacrista non fecerit mentionem de defectu ossis navicularis in pede; nam hoc pars essentialis non est: & præterea novum non est, quòd unus testis sit magis accuratus altero, & meliùs videat, vel observet: neque exinde discordes redduntur, dummodo non discrepent in essentialibus.

Alex. *cons.* 24. *n.* 43. *lib.* 2. Curt. Jun. *cons.* 122. *n.* 7. *lib.* 3. Bartol. *in l. diem proferre. ff. de recept. arbit.* Surd. *cons.* 414. *sub. n.* 39. Mascard. *de probat.* *concl.* 2361. *n.* 6. Rota coram Gregor. *decis.* 351. *n.* 22. *& decis.* 578. *n.* 4.

Denique etiamsi testis iste ex prædictis appareret adeò defectuosus, ut neque in reliquis fides ei attribuenda esset, attamen adeò abundans probatio de statu hujus sacri Corporis resultat ex de positionibus tot aliorum Peritorum, & Judicum, ut nullum detrimentum ex unius defectu Causæ generari queat.

Ad 3tium. Ex eo, quòd in nervis, 29.
musculis, & reliqua carne reperta sit magna siccitas, non excluditur miraculositas Incorruptionis in Casu præsenti assertæ: imprimis hoc ipsum miraculosum est, quòd Corpus Beati, adeò exsiccatum à senio, & pœnitentiis, non denique ad ultimum marcoris terminum, scilicet incinerationem jam pridem perductum sit; cùm enim omnia corpora sublunaria, ne ipsis quidem lapidibus exceptis, sive putrida, sive imputria illa sint, unione partium dissolutâ, in cineres tandem abeant, in eosdem sacrum hoc Corpus, nisi virtute Divinâ præservatum fuisset, intra tot annos debuisset difluxisse. Deinde à testibus non fuit asserta omnimoda siccitas; omnes enim reperisse se dicunt Corpus Beati flexibile, carnésque, ac nervos cessiles tactui, & molles, quod necessariò provenire debuit ab unctuosa quadam humiditate, quæ per omnes Corporis partes, per aliquas magis, per alias minùs diffundebatur: & hoc ipsum fuit grande miraculum, quòd humiditas ista post tantum tempus non evanuerit, vel alterata Corporis sacri putrefactionem induxerit. Hinc sequens formatur Dilemma: Aut post tantum tempus in sacro Corpore adhuc existit humiditas aliqua; & mirum est, quòd putrefactum non fuerit, cùm necesse tandem sit, humiditatem non regulatam à calore naturali, sed fermentatam ab extraneo, qui perfectas concoctiones explere nequaquam potest, desinere in putredinem. Aut contrà siccissimum, & omni humiditate destitutum fuit; & tunc est majus Miraculum, quòd deficiente illo glutino, ad conservandam partium unionem necessario, in cinerem non solveretur.

Ad 4tum. Corpus Beati in vita per 30.
senium, labores, & pœnitentiam non adeò fuit exsiccatum, ut non adhuc magna remanserit partium humidarum substantia. Debuisset ergo connaturaliter putrefieri. Imò humiditas aliqua, quæ naturaliter putrefactionem deberet efficere, etiamnum superest, scilicet illa, quæ, ùt *num. præced.* dictum est, ab unctuosa quadam substantia, ad flexibilitatem partium inserviente, proficiscitur; nam, ùt testis Peritus deposuit, nervi, cutis, caro mollitiem habent, non secus, acsi mox è vita discessisset Beatus, aut Corpus ejus ante quatuor primùm dies humatum fuisset, ut alter testis

itidem Peritus affirmat. Omnium maximè autem miraculosa haberi debet cerebri intra cranium existentia, quod, ùt unanimiter Periti deponunt, in aliorum viscerum exenteratione intactum fuit relictum; hoc enim, cùm sit pars omnium nostri corporis partium humidissima, ac putredini propterea magis obnoxia, præ omnibus debuisset fuisse corruptum?

31. Ad 5tum. Exenteratio impedire quidem putrefactionem cadaveris potest, ne adeò citò contingat; quia tamen in reliquis partibus humiditatem relinquit, quæ putrefactionis origo, atque principium est, non potest facere, ut non tandem eveniat. Suspicionem imbalsamationis, ab exenteratione desumptam, sufficienter amoliuntur depositiones Peritorum, & testium omnium in secunda Inspectione sacri Corporis adhibitorum, qui unanimiter secundùm principia Medica dixerunt, illud nullo modo fuisse inbalsamatum, vel aliquo alio præservativo adversùs corruptionem præmunitum; quia solus venter apertus fuit, & oculi, cerebrum, aliæque partes molles, ac corruptioni magis obnoxiæ non putruerunt, nec pili ceciderunt à facie. Accedit, quòd corpora, quæ imbalsamantur, evadant rigidissima, & inflexibilia, ut mumia, cùm tamen in hoc S. Corpore notata fuerit mollities, & flexibilitas. Deinde balsama inveterata corrumpuntur, & malum dant odorem, quòd nunquam in Corpore hujus Beati observatum est, ut proinde concludi meritò possit, quòd non ab arte, sed Divinâ virtute à putredine sit præservatum. Quoad exempla allata advertendum est, aliud esse, corpus esse integrum, & aliud esse incorruptum; illud enim Tulliolæ cadaver, quod integrum fuit inventum, statim, ac elevatum fuit, in cinerem cecidit, teste Suesseno. Idem contigit cadaveri humano, quod ingentis magnitudinis, teste Boccaccio, in antro Siciliæ prope Drepanum suo ævo repertum fuit, collocatum in sede, sinistra manu innixum baculo prægrandi, solo autem tactu unà cum baculo in pulverem abiit. Et talia sunt multorum olim balsamatorum corpora: quæ autem incorrupta manent, illa, ùt dictum est, evadunt rigida; consequenter cum hoc nostro S. Corpore, quod flexibile permansit, similitudinem nullam habent.

32. Ad 6tum. Ex gossipio rubro colore leviter tincto, inbalsamatio non potest colligi; nam si hæc facta fuisset, color iste non tantùm in parte gossipii, sed in toto apparere debuisset, & ab aromatibus, & balsami liquore redolere, ac emittere saltem illum odorem, quem corpora inbalsamata aliàs solent reddere. Atqui Periti omnes, & alii testes in secunda Inspectione adhibiti testantur, in ipso actu Visitationis se nec bonum, nec malum odorem advertisse, donec tandem sub finem actûs emanavit odor ille suavissimus, qui cùm juxta omnium testium assertionem nulli odori naturali sit similis, hoc ipso ad inbalsamationem proficisci non potuit. Deinde iidem testes asseverant, se diligentissimè totum interius Corpus, præsertim verò thoracem, in cujus sinistro latere deprehensum fuit gossipium aliqualiter rubricans, perscrutatos esse, & nihil penitus in eo deprehendisse, ex quo inbalsamationem factam potuissent colligere. Aut ergo color iste jam antea erat in gossipio, aut quod magis probabile est, à residuo aliquo sanguine in cavo viscerum communicatus fuit. Ab eodem sanguine etiam profectus debuit esse color ille sanguineus, qui in ea thoracis parte, ubi costa deficit, apparuit; nam à balsamo, vel condimento alio, quippe quæ partem, cui applicantur, ut testis 4tus Peritus ait, nigrescere faciunt, non potuit provenire. Consectaneum ergo est, hunc, & illum colorem profectum esse vel à sanguine, ùt dictum est, vel à succosa aliqua, & molli substantia, quâ Corpus sacrum supernaturaliter irroratur, quæ proinde vestigium sui leviter impressit gossipio. Similiter inanis est suspicio, quæ ex retentâ penes Sacristam clavi ad sacrum Corpus desumitur, ne fortasse ab hoc, vel per aliquem ab ipso dependentem perlinitiones hujusmodi ad illud à putredine præservandum factæ fuerint. Nam si factæ fuissent, id contigisset vel ante annum 1609. quo tempore clavis ad urnam adhuc erat penes Sacristam solum, vel post istud tempus. Non hoc secundum; quia ab illo tempore Sacrista habet solummodo, clavem ad arcam ligneam, cui inclusa est ipsa Urna; ad hanc autem sunt quatuor claves diversæ, penes quatuor diversos retentæ: consequenter absque horum notitia, & consensu balsamatio fieri non potuit. Non primum; quia si tunc facta fuisset inbalsamatio, procul dubio in Visitatione tum facta fuisset detecta. Nihil autem tunc repererunt Periti recognoscentes hoc sacrum Corpus, sed dixerunt totum Epigastrium esse exenteratum, & simplici gossipio negligenter, nullâque ad conservandum arte adhibitâ, fuisse repletum, atque hinc concluserunt, illud ultra communem naturæ legem fuisse conservatum.

Ad 7mum. Ostensum est *Num.* 24. non posse Incorruptionem hujus sacri Corporis vel naturæ, vel arti adscribi, sicut adscribi potest Incorruptio corporum in exemplis hoc Argumento relatis: locus proinde est regulæ, apud omnes Canonistas receptissimæ, & à S. Congregatione passim servatæ, juxta quam, ubi causa artificialis excluditur, & constat de Sanctitate Vitæ illius, cujus Corpus incorruptum servatur, prout in casu nostro, tunc Incor- 33.

ruptio

ruptio pro miraculosa habenda est, præsertim, si, ùt iterum in casu nostro, cum ea conjungatur flexibilitas.

Matt. *p.* 3. *de Canoniz. SS. c.* 14. *n.* 14. Frances *q.* 34. *n.* 26.

Nam reliqua Corpora, quæ sive per artem, sive per naturam incorrupta manent, rigida sunt, & inflexibilia. Ratio autem, quòd flexibilitas Incorruptioni conjuncta pro miraculosa haberi debeat, est, quia duæ hæ qualitates proveniunt à principiis omnino contrariis; illa enim oritur ab humiditate,

ex sententia Hippocrat. *aph.* 71. *s.* 5.

hæc à siccitate, & humiditatis subtractione,

juxta sententiam Galeni *l.* 3. *de die decret. c.* 2. *class.* 4. Zacch. *qq. Medic. Leg. q.* 10. *s.* 5.

si igitur Corpus Beati omni humiditate caruit, aridum utique esse deberet, & non molle; si verò molle, utique non incorruptum, nisi utrumque contingat supernaturaliter.

34. Ad 8vum. Quòd non tantùm apparens, sed vera flexibilitas in sacro hoc Corpore reperiatur dubitandum non est. Nam 1. ea jam antiquitus fuit nota omnibus, ejúsque amplissimè meminit

Castellin. *in tract. de Cert. glor. Sanct. c.* 6. *n.* 17. quem typis edidit 1629. & Contilor. *tr. de Canoniz. Sanct. c.* 14. *n.* 36. quem scripsit 1634.

2. de eadem flexibilitate insigne experimentum factum est 1631. quo tempore ardens Vesuvius Civitati Neapolitanæ extremum minabatur excidium; nam cùm ad Corpus Beati porrectæ fuissent preces, ut dignaretur ostendere, an libenter se pateretur deferri contra Montis istius incendium, in omnium conspectu elevavit crus, & cùm delatum fuisset ad pontem S. Mariæ Magdalenæ, ejus brachio, acsi esset viventis, benedictus est globus igneus, qui ex ore Vesuvii erumpebat, ùt infrà *ad Miraculum 4tum* dicetur. 3. Imò Beatus noster adeò in antiqua fuit possessione hujus privilegii, & adeò attentus ejus vindicator, ut cùm quædam incauta Juvenis olim de eo dubitare præsumpsisset, statim suæ temeritatis pœnas luerit, ùt probabitur *in relatione Miraculi noni.* 4. Illa evidentissimè probata est in Visitatione Corporis secundâ: quod signum est, eam extitisse jam tempore Visitationis primæ, nisi velimus dicere, eam novo, & magis stupendo Miraculo supervenisse. 5. Sanctissimus D. N. Benedictus XIII. in attestatione sua, quam existens adhuc Archiepiscopus Beneventanus dedit authenticam, expressè testatur, se, cùm P. Guardianus, ipso præsente sacrum Corpus, præcipuè caput, & brachia, tanquam vivi Corporis, elevare, extendere, & flectere cœpisset, membrorum flexibilitatem in eodem sacro Corpore admiratum, laudâsse DEum, & asseruisse, Hæreticorum perfidiam adversùs Sanctorum Reliquias insultantium, ex hoc solo confundi. Est quidem verum, quòd flexibilitas, & mollities in aliquibus partibus, velut in capite, brachiis, manibus, digitis, coxis, cruribus, & musculis intercostalibus sit major, quàm in aliis, ùt videre est in relationibus Peritorum, & testium: sed hoc Miraculo nihil detrahit; nam Corpus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis tantùm circa pulsum, & genu repertum est molle, & tamen hoc sufficiens visum est ad constituendum Miraculum flexibilitatis. Unde cùm Flexibilitas ista in Corpore B. Jacobi ab antiquis Authoribus jam contestata fuerit, ejúsque continuatio tot documentis, & probationibus validissimis firmata, in dubium trahi nequeat, pro indubitato Miraculo agnosci illa debebit.

Ad 9um. Quòd sublevato uno membro, etiam membrum connexum elevetur, mirum esse non debet; nam hoc etiam in Corporibus viventibus ob partium connexionem contingit: consequenter flexibilitas non consistit in hoc, quòd ad motum unius membri, quiescant omnia reliqua, etiam vicina, sed potiùs in eo, quòd in elevatione partium non sequatur dissolutio articulorum, & scissura continui: quod considerantes Judices, Periti, & testes, qui Beatum hoc Corpus inspexerunt, & tetigerunt, unanimiter flexibilitatem hanc miraculosam esse deprædicârunt. Quod additur de suspicione, ne fortè per os sacri Corporis liquor aliquis illatus sit, quo cerebrum exsiccatum sit, æquè parùm subsistit; nam imprimis in tota Arte Physica, & Medica hactenus liquor talis, vel spiritus adeò virtuosus, & efficax inventus non est: & hinc in quacunque imbalsamatione partes molles, & præcipuè cerebrum, quod ob sui flaccescentiam corruptioni est magis obnoxium, extrahi solet: quod utique, & faciliori modo fecissent Patres Conventûs, si per imbalsamationem Corpus Beati à corruptione præservare cogitâssent. Deinde si liquor aliquis intra os fuisset intrusus, procul dubio per Oesophagi canalem statim in ventriculum descendisset; nam si quando liquorem aliquem more aliquamdiu retinere volumus, id nonnisi linguæ, labiorum, ac genarum musculis agere possumus, quorum actio in cadavere omnino feriatur. Denique esto, quòd aliqua liquoris spiritosi evaporatio ad cerebrum penetraret, parùm id esse poterat, nec sufficiens, ut magnam illius substantiam exsiccaret. 35.

Ad 10mum. Non obest, quòd in Decreto Beatificationis non fuerit facta specifica mentio de Incorruptione, & flexibilitate Corporis Beati; nam nec de Miraculis aliis est mentio facta, sed tantùm in genere, constare de miraculis: quare, cùm satis liqueat, 36.

liqueat, de incorruptione, & flexibilitate S. Congregationi jam ante Decretum illud constitisse, censebuntur unàcum reliquis Miraculis ab eadem S. Congr. in genere fuisse approbatæ. Quod tamen non impedit, quin de novo etiam in Processu pro Canonizatione allegari possint; nam distinguendum est inter effectus miraculosos. Aliqui sunt miraculosi tantùm in fieri, ùt est resuscitatio mortuorum, cæcorum illuminatio, & similia, in quibus potentia naturalis, semel miraculosè restaurata, pro sui conservatione non indiget extraordinario DEI auxilio, sed sufficit, quòd ab ipso, tanquam causa universali, secundùm communes naturæ leges reguletur. Nonnulli verò effectus miraculosi sunt non tantùm in fieri, verùm etiam in conservari, ùt est cadaverum incorruptio, & flexibilitas; quia contra cadaver principia destructiva, præsertim quamdiu partes aliquæ molles, & unctuosæ, ùt in hoc S. corpore adhuc supersunt, indefinenter agunt, consequenter pro ejus conservatione necesse est, ut etiam obstativa sint superioris generis, quæ principiorum corrumpentium activitatem retundant, & quolibet momento his resistant: quemadmodum ergo quolibet momento fit nova pugna, ita etiam in quolibet momento renovatur victoria; sicque incorruptio videtur esse novum semper, & quotidianum Miraculum distinctum saltem operatione à subjecto, in quo radicatur,

ùt docet Scot. *in* 3. *dist.* 49. *lit.* F. Card. de Laur. *in* 3. *tom.* 4. *D.* 21. *art.* 3. *n.* 112.

Ex quo sequitur, continuationem incorruptionis ad tempus inspectionis secundæ esse majus Miraculum, quàm fuit conservatio ad tempus inspectionis primæ, saltem respectu passi, cùm actus defensionis, & conservationis pluries renovari, & iterari debeant in diuturna, quàm in recentiori conservatione. Meritò igitur in Processu Canonizationis allegatur, & petitur discussio de continuatione incorruptionis, & flexibilitatis; quia continuatio hæc, ferè per aliud sæculum à prima visitatione perdurans, est novum Miraculum, quod propterea specialem mentionem meretur, & juxta stylum S. Congr. *Num.* 26. allegatum servire ad decernendam Canonizationem potest.

MIRACULUM III

Odoris ex corpore B. Jacobi profluentis.

37. EX sacro hoc corpore identidem etiam spirat odor & fragrantia inexplicabilis, nulli alii odori naturali similis, quem in apertione arcæ, quâ corpus Beati clauditur, senserunt tum alii, tum verò, & maximè Judices Apostolici, Periti, & testes, qui secundæ, & novissimæ corporis sacri inspectioni interfuerunt. Quæritur 1. utrum fragrantia, seu odoris suavitas, quæ percipitur in apertione arcæ, urnæ, vel sepulchri, in quo est corpus Servi DEI, præbeat indicium sanctitatis, & haberi pro miraculoso debeat? 2. utrum talis odor adsit in casu præsenti? 3. an odor iste, & qualitates, quæ ad odorem miraculosum requiruntur, sint sufficienter probatæ? 4. an tanquam novum Miraculum pro Canonizatione Beati nostri allegari possit? Quæstiones examinandæ.

Contra præsens Miraculum sequentia proponuntur argumenta. 1. Potuit corpus Beati fuisse balsamo, vel aliquo alio odorifero liquore linitum, vel in ipsa tumba fortasse asservatur simile quid, quod hujusmodi odorem præbeat: ut adeò non sit certum, quòd odor iste promanet ex ipsa corporis sacri substantia: quam suspicionem plurimùm adjuvat 38. Rationes dubitandi.

2. Assertio Patris, qui tempore reassumpti Processûs pro Canonizatione officium Sacristæ in Capellam Beati gessit; nam hic in depositione sua dicit, odorem istum esse quasi odorem balsami: & licèt addat, eum tamen non provenire ex balsamo, rationes tamen, quas pro balsami odore excludendo affert, concludentes non sunt; dat enim duplicem rationem: unam, quia toto undecim annorum spatio, quo fungitur isto Officio, nunquam vidit positam in ipsa urna, vel in vicino rem odoriferam, quæ posset dare dictum odorem suavem, & balsamicum: alteram, quia odor balsami, & aromatum non durant per tantum tempus 224. annorum, sicut in casu præsenti à morte Beati usque ad ultimam prædictam visitationem, sed potiùs balsama, quando antiquata sunt, præbent odorem insuavem, & tetrum. Sed hæ rationes nihil probant; nam

3. Esto, quòd Pater prædictus toto Officii sui tempore non viderit rem odoriferam in urna Beati, item quòd balsama, aromata, & herbæ odoriferæ, cadaveribus insarcinatæ, si antiquata sint, malum potiùs, quàm bonum odorem emanent, poterat adhibitum fuisse olim aliud condimenti genus, quo corpus servaretur odoriferum, nempe per oleum, vel per alium exquisitum odorem distillatum, cujus natura sit tractu temporis evaporare, nullo relicto vestigio fœcis, malum odorem de sua natura redolentis. 39.

4. Saltem Judices, Periti, & testes, qui secundæ inspectioni oculari interfuerunt, non possunt dicere, quòd odor iste promanet ex ipso Beati corpore; quia non constat, sacrum corpus fuisse extractum ex tumba sua, ut deprehendi posset, utrum non in aliqua ejus parte adessent vestigia odoris extrinsecùs immissi, & præcipuè in ore,

ore, quod non est apertum. Potuit autem talis rei odoriferæ immissio facilè fieri vel ab ipsis Sacristanis aut in urnam, in qua corpus Beati jacet, ante Beatificationem, quippe quo tempore soli custodiebant clavem, aut post Beatificationem ad arcam ligneam, quâ urna clauditur, utpote ad quam clavem hodiedum retinent. Imò poterat aliquid odoriferum introductum fuisse in ipso actu Visitationis.

40. 5. Si asserta fragrantia non aliunde, sed ex ipso sacro corpore promanaret, probabiliter exiret semper, & conservaretur perpetuò, sicut conservatur incorruptio, & flexibilitas. De perpetuitate autem non constat: nam in hoc testes, in novissimo Processu examinati non conveniunt; aliqui enim dicunt, odorem esse perennem, aliqui non, sed quandoque percipi per modum transeuntis: deinde nesciunt, cuinam odori naturali, vel artificiali sit comparabilis, & tamen concludunt unanimiter esse supernaturalem, absque eo, quòd coarctent negativam cum ratione scientiæ, quòd scilicet non potuerit ex aliquo loco Capellæ vicino, in quo immissus est odoriferus liquor, transpirare.

6. Inter ipsos testes, deponentes de odore, tempore secundæ inspectionis à se percepto, datur diversitas, dum aliqui dicunt, odorem hunc cœpisse emanare circa principium, alii circa medium, aliqui denique circa finem Visitationis.

7. De hac fragrantia tempore primæ Visitationis 1609. factæ non constat; nam ex 28. testibus tum præsentibus unicus solùm deponit, se illum tunc percepisse, qui proinde fidem non facit: vel si verum est, jam tum odorem istum fuisse perceptum, ejus emanatio non est novum Miraculum: consequenter allegari nequit pro Canonizatione, ubi solùm admittuntur Miracula, quæ Beatificationi supervenerunt. His non obstantibus

41. Decisio Quæstionum. DICENDUM 1. Bonus odor, qui ex defuncti corpore naturaliter spirare non potest, semper magno in pretio, & pro præclaro sanctitatis indicio fuit habitus; quia pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ, ùt acutissime observavit

S. Dionys. Areop. *lib. de cœlest. Hierarch. c.* 1. & sequuntur Castellin. *de certit. Glor. Sanct. c.* 6. *n.* 3. Matt. *de Canoniz. Sanct. p.* 4. *c.* 27. *n.* 4. & 5.

Hinc S. Gregorius Turonensis, cùm quæreret corpus S. Mallesii Martyris, apud Oppidum Bertanense, in odium fidei interfecti, & ignoraret præcisum locum, ubi sepultum fuerit, postquam fodiendo terram tandem ad locum aliquem deventum est, unde suavissimum odorem prodire sensit, hoc pro indicio positi ibi sacri corporis acceptavit, sicut etiam revera illud ibidem repertum est illæsum,

ùt ipse testatur *libr.* 1. *de Glor. Mart. c.* 63.

Ideo emanatio talis odoris passim solet pro miraculosa haberi, 42.

teste Jacob de Graffis *lib.* 5. *de Sent. Excomm. cons.* 17. *n.* 80. Castellin. *de cert. Glor. Sanct. c.* 14. *pag.* 145. *n.* 19. Scacch. *de not. & sign. Sanct. sect.* 9. *c.* 1. *pag.* 193. Bordon. *Controv. Moral.* 13. *pag.* 186. *n.* 24. Lezan. *consult.* 2. *n.* 68. Pignatell. *consult.* 242. *n.* 16. Paul. Zacch. *qq. Med. Legal. l.* 4. *tit.* 1. *n.* 38.

Et sic Miraculis adnumeratum hoc fuit ab Auditoribus Rotæ in Canonizatione S. Isidori *Miracul.* 2. S. Elisabethæ Reginæ Portugalliæ *Mirac.* 1. *post mortem*, S. Francisci Xaverii *Mirac.* 2. S. Ludovici Bertrandi *Mirac.* 6. S. Paschalis Baylon. *Mirac* 3.

DICENDUM 2. Suaveolentia tunc solùm supernaturalis est judicanda, quando plene probata sanctitate vitæ constiterit, quòd non potuerit provenire ex causa aliqua naturali, in arca, vel Capella secretò repositâ, præsertim si ex Peritorum, & percipientium testimonio talis fuerit, ut excedat quemcunque odorem naturalem, & nulli sit similis; fueritque non modò in naribus suavis, sed etiam manus, ac vestes ita affecerit, ut per plures dies, vel horas permanserit: & concludentiùs, si eo percepto, aliquis fuerit illico sanitati restitutus. 43.

Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 47. *n.* 32.

DICENDUM 3. Hæc pleraque reperiuntur in odore, qui promanat de corpore B. Jacobi; nam 1. de sanctitate ejus sufficienter constat; quia ad examinanda Miracula S. Congregatio non procedit, nisi postquam constiterit de sanctitate vitæ, & de virtutibus tam Theologicis, quàm moralibus in gradu heroico, & excellenti. 2. non potuit odor iste humano artificio fuisse procuratus; nam arca, in qua S. corpus quiescit, cùm aperiebatur, nullum odorem dederat, quem utique dedisset statim, si odoriferum quid in ea clauderetur: similiter nullum odorem dedit gossipium, ex sacro corpore extractum, nullum ipsæ manus Peritorum, qui, ut exactè commissum opus exequerentur, per apertum inferiorem ventrem, latúsque effossum, valde sensibili tempore, manibus suis perscrutati sunt omnia. Necesse autem fuisset, ut tam gossipium, quàm manus sacrum corpus tractantium odorem statim contraherent, si in hoc odoriferum aliquid clauderetur, à quo odor hic posset proficisci. 3. post tempus, & sub finem visitationis primum odorem senserunt præsentes omnes, eúmque suavissimum, nulli ex communibus odoribus similem, qui per aliquot horas, imò dies (quod nullus odor naturalis potest) manibus, etiam pluries lotis inhæsit, imò in strophiola etiam aliquorum est propagatus. 4. de sanitate quidem 44.

in hoc visitationis actu alicui ægroto restitutâ, non constat (nam nullus ejusmodi aderat) in vicem tamen Miraculi istius est, quòd aliqui ex præsentibus ad odoris istius sensum mira quadam jucunditate, & hilaritate delibutos sese adverterint.

45. DICENDUM 4. De odore ex corpore Beati emanante, abunde constat; nam 1. de illo testatur Sacristanus, qui in depositione sua ait, eum esse quasi balsami, & hunc à se fuisse perceptum à septem annis semper, quando aperiebatur tumba, quâ corpus Beati clauditur; additque, hunc odorem fuisse animadversum etiam ab aliis PP. Conventûs, & ab ipso Vice-Rege, & Vice-Regina, quando illud pro devotione sua inspiciebant: insuper asserit, similem odorem redolere etiam pileolos, & capuccium, de corpore hoc sacro depromptos, quippe qui singulis annis innovantur, idque esse publicum, atque notorium. 2. confirmat hoc ipsum de sensu proprio testis 14tus. qui ait, se odorem hunc sæpiùs observâsse, & hunc adeò suavem esse, ut alii odori terreno, & artificiali comparari nequeat, ac propterea se existimâsse, eum esse supernaturalem. Addidit dictum odorem non semper efflari, sensisse se tamen illum sæpiùs etiam diebus ordinariis, non festis. 3. Idem odor suavissimus, dum jussu S. Congregationis facta est novissima inspectio corporis Beati, notatus fuit etiam ab omnibus tam Judicibus delegatis, quàm à reliquis præsentibus, ut ex horum depositionibus, & instrumento publico, per manum Notarii desuper confecto, constat: ut adeò emanatio hujus odoris secundùm omnem juris formam sit probatissima.

46. DICENDUM 5. Pariter ex eorundem testium depositionibus, & dicto instrumento publico abunde constat, odorem istum tantæ fuisse efficaciæ, ut non solùm nares, sed etiam manus, & strophia, quibus ad abstergendum sudorem in actu visitationis usi sunt, ad biduum, vel triduum, imò longius etiam tempus affecerit, & perduraverit. Nam 1. unus ex inspectoribus Medicis testatur, usque ad finem inspectionis nullum notatum esse odorem; sed prope finem observationis per totam Capellam suavissimum odorem sparsum, qui nullum ex nostratibus odoribus imitetur, sed cœlestem quandam suavitatem sapiat; húncque odorem se deportâsse domum, eúmque cum admiratione sensisse domesticos, durásseque biduo: quod ait etiam contigisse cæteris suis collegis, qui sacrum corpus tetigerunt; & sic etiam habent istorum depositiones. 2. idem confirmat ipse Eminentissimus Cantelmi, Archiepiscopus Neapolitanus, & à S. Congreg. pro actu inspectionis Delegatus Judex in Litteris ad eandem S. Congregationem datis, ubi ait, manus suas ultra diem odorem, ex contacto sacro corpore contractũ dedisse, & sudariolum, omni priùs odore expers, quo ad abstergendum sudorem usus est, tali, ac tanto mox odore fuisse imbutum, ut etiam post annum suavitatem aliquam, etiamsi diminutam, memorati odoris retinuerit: additque se exhibuisse sudarium hoc etiam cæteris Conjudicibus, Sub-promotoribus, & Notario, qui pariter hoc prodigium experti sunt. 3. eundem odorem in manibus suis se per horas complures sensisse testantur Episcopus Fundanus, & Massæ-Lubrensis in suis Epistolis ad eandem S. Congreg. datis.

47. DICENDUM 6. Non minùs probatissimum est, quòd odor iste excesserit quemcunque odorem naturalem, neque ulli horum fuerit similis. Nam ita 1. testatur testis 14tus. qui ùt *Num.* 45. dictum, fassus est, se sæpiùs observâsse odorem istum, & hunc adeò suavem fuisse, ut alii odori terreno, & artificiali comparari nequeat. 2. idem affirmant Periti omnes, pro novissima sacri corporis inspectione adhibiti; nam ajunt, odorem istum fuisse suavissimum, & nulli ex communibus odoribus similem; addúntque se ad odoris istius sensum delibutos jucunditate, & hilaritate magna, omnésque ad suavitatem illius extraordinariam plurimùm admiratos. 3. de dicto odore suavissimo, non aromata, sed aliquid suavius, ac jucundius afflante, attestati sunt prævio juramento, tacto pectore Eminentissimus Cardinalis Cantelmi Archiepiscopus, & reliqui Reverendissimi & Illustrissimi DD. Judices remissoriales, ùt constat ex instrumento publico super hoc manu Notarii actui senpræsentis conscripto.

48. DICENDUM 7. Odorem hunc Periti, ad inspectionem novissimam adhibiti, & judices remissoriales, cum reliquis actui præsentibus, meritò judicârunt naturæ vires excedere, ac supernaturalem esse. 1. quia, ùt omnes Periti fatentur, ab ipsis nihil inventum est vel in- vel extra, & prope sacrum corpus, à quo odor iste emanare posset, præsertim, quia 2. odor iste juxta attestationes *Num. prac.* datas nulli naturali, vel artificiali alii odori est similis, sed omnes suavitate sua excedit, ut proinde pro indubitato habuerint, eum nullo humano artificio procuratum fuisse. 3. Imò Periti omnes voluerunt specialiter, & diligentissimè recognoscere, an intus, vel extra urnam aliquid odoriferum immissum fuerit, & nihil repererunt, ùt unanimiter testati sunt, ex quibus secundus Peritus ita se explicavit: *Nemo potuit clam parùm ante odoris effusionem olidum quid in aliquo loco abscondere: quia oculatissimi testes ad operis usque finem ab actu non recesserunt.* Concordant cum hoc cæteri Periti testes. 4. Odor iste, ùt iterum ex testium depositionibus habetur, non semper emanat, nec emanavit in principio visitationis ultimæ, sed tantùm in fine illius, quod ipsum miraculosi-

ta-

tatem illius probat; nam causæ naturales non liberæ in iisdem circumstantiis semper agunt uniformiter. Igitur signum est, emanationem illius provenisse à causa aliqua superiore & supernaturali, consequenter miraculosam esse, & quidem, quoties hic odor spirat, novum esse Miraculum, prout passim novo Miraculo tribuitur quæcunque ebullitio sanguinis S. Januarii, & effusio ex brachiis S. Nicolai de Tolentino: sicque allegari pro Canonizatione potest. Argumenta opposita facilem patiuntur solutionem.

49. Respondetur ad Rationes dubitandi.

Ad 1. sufficienter ab omnibus testibus Peritis, & judicibus ac etiam subpromotoribus fidei inspectum, evidenter agnitum, & fundatissimè probatum est, quòd odor iste non potuerit ab ulla arte humana vel per inbalsamationē, vel per aliud quodcunque odoramenti genus, Sacello, urnæ, aut corpori Beati immissum, procuratus esse. Imò primus ex Peritis, post diligentissimè factam S. corporis recognitionem, petitâ licentiâ ab Eminentissimo Archiepiscopo, illud manibus iterum lustrare voluit extra, & intus ab imo ventre usque ad guttur, & nullum penitus inbalsamationis, aut cujuscunque alterius condimenti vestigium in ipso corpore, vel extra illud invenit: eandémque diligentiam etiam fecerunt 2dus. 3tius. & 4tus. Periti, qui unanimiter concluserunt, nihil artificiale se ibi reperisse, sed odorem hunc esse supernaturalem, & cœlitùs immissum.

50. Ad 2. non obstat, quòd testis Sacrista dixerit hunc odorem esse quasi balsami; nam propterea non concludit, eum provenire à balsamo: esse simile autem non est esse idem.

Rota *decis.* 307. *n.* 17. *part.* 16. *recent.*

Imò idem testis expresse addit, odorem istum non provenire à balsamo, vel alio odoramenti genere: ejúsque rationes convincentes sunt; nam 1. testatur, se ab undecim annis, quibus Sacristani munere in Capella Beati fungitur, semper fuisse præsentem, quando tumba aperiebatur, neque unquam vidisse, quòd ibi fuerit, aut collocata unquam sit materia odorifera, quæ odorem istum efflare posset. Imò ulteriùs 2dò. addit, cùm à tempore Beatificationis quatuor diversæ ad tumbam aperiendam claves penes quatuor diversos asserventur, non esse possibile poni in ea aliquid odoriferum, quin notaretur à personis claves has asservantibus: ut adeò post istud tempus non possit esse periculum fraudis. Sed neque 3. odor iste provenire potuit ab aliquo odoramento ante Beatificationem illato corpori sacro, vel tumbæ: cujus pariter probationem, quæ in antiquis pro convincente ab omnibus Jurisperitis habetur, addit, scilicet quòd nunquam audiverit, corpus Beati unquam fuisse inunctum balsamo, vel alio odorifero liquore, & si hoc factum fuisset, necessarium fore, ut notum hoc esset in Conventu saltem per traditionem. 4. ait, notum esse, quòd antiquata balsama odorem insuavem edant; corpus autem Beati efflare odorem suavissimum, nulli odori naturali similem: ob quam rationem affirmat Medicum, & Chirurgum, qui erant præsentes, cùm 1699. aperiretur tumba, asseruisse, odorem istum non esse naturalem, sed miraculosum, nullo balsami, vel aliorum odoramentorum genere comparatum, quippe quorum odor in tantum tempus non durat.

Ad 3. Si oleum distillatum ex aliqua materia odorifera fuisset olim insertum corpori sacro, vel tumbæ, imprimis odor iste jam pridem evanuisset; nam, ùt modò dictum est, hujusmodi odores, præsertim subtiles, non tamdiu durant, sed citiùs exspirant. 2. posset dici, cui odori naturali odor inde comparatus sit similis; nam distillata etiam ex materiis odoriferis olea, vel spiritus odorem materiæ, unde sumpta sunt, retinent. 3. odor iste statim ab initio, cùm manibus suis Periti sacrum corpus tractârunt, hâsque in ima ejusdem, omnia exploraturi, immiserunt, debuisset istas afficere; item gossipium, quo vacuitates hæ replebantur, oportuisset ab eodem redolere: quod tamen non est animadversum; nam istud, ùt Periti testantur, nec bonum, nec malum odorem habuit. 51.

Ad 4. aliunde constabat ex observatione diligentissima, nihil odoriferi in urnam fuisse illatum: consequenter non erat fortasse necessarium corpus ab urna extrahi, cùm effectus idem per æquivalentes diligentias obtentus sit; lex enim non curat de modo, dummodo habeatur intentio. 52.

Coccin. *decis.* 143. *n.* 19. *& decis.* 621. *n.* 17. *p.* 18. *recent.*

Imò, ut diligenter observarentur omnia, & ne fraus ipsis, & sub eorum fide aliis fieret, sacrum corpus ex arca extractum, & super Altare extensum fuit, & nihilominus nihil ibi omnino repertum fuit, prout exactissimè retulit Rm̃us Episcopus Massæ-Lubrensis in sua Epistola directâ ad S. Congregationem, ubi testatur, non esse perceptum hunc odorem, quando tumba fuit aperta, nec quando observatum fuit corpus Beati, & extractum est ex arca, ut meliùs observaretur. Idem testatus fuit Eminentissimus Archiepiscopus in suis Epistolis, Rm̃o Promotori fidei scriptis: item Notarius, qui actui præsens fuit. Neque obstat Decretum S. Congregationis de non coadjuvandis probationibus; quia substantia hujus facti plenè resultat ex publico instrumento erecto super actu recognitionis, Epistolæ verò, & attestatio Notarii prædictæ, quæ supervenerunt, se habent per modum Declarationis eorum, quæ actui insunt, & sic nihil de novo addunt, nec novam constituunt probationem

l. adeo §. cùm quis. ff. de acquir. rer. domin.

min. l. Hæredes palam. §. 1. ff. de testam. Rota *decis. 262. n. 26. p. 19. recent.*

53. Ad 5tum. Cùm ex Juris præcepto testes in Judicio, qui ad speciem contrarii sunt, ubi hoc fieri potest, combinari, & ad consonantiam reduci debeant, dici debet, quòd testes illi, si qui forsan de perpetuitate odoris, ex sacro Corpore emanantis, deposuerunt, intelligendi sint, de perpetuitate non continua, sed suis vicibus interpolata, sicut S. Januarii Miraculum, dum sanguis ejus ebullit, quando ponitur ante conspectum S. Capitis, dicitur perpetuum; quia toties contingit, quoties suis temporibus in hujus conspectum ponitur. Interpolatio hæc auget Miraculum, dum non omnibus, nec semper ex Beati Jacobi Corpore spirat hic odor; nam odores naturales semper, & eodem modo exhalare solent, & ab omnibus promiscuè sentiuntur. Similiter supernaturalitatem hujus odoris rectè collegerunt testes ex mira suavitate illius, nulli alii odori simili, vel comparando, cujus nullam invenire causam naturalem potuerunt; nam ex hoc capite etiam odor spirans ex Corpore S. Francisci Xaverii reputatus est prodigiosus, de quo legitur in Bulla Canonizationis §. 4. ibi: *Odorum fragrantiâ spirabat, ut esset super omnia aromata.*

54. Ad 6tum. Testes in secunda recognitione sacri Corporis adhibiti conveniunt, in fine actûs fuisse ab omnibus odorem istum animadversum. Si aliqui prius illum notârunt, aliqui seriùs, mirum id esse non debet; quia odor iste non communicatur omnibus, sed tantùm quibus DEUS vult, prout etiam observatum fuit in odore profluente ex Corpore S. Raymundi de Pennafort, de quo *Const.* 77. *Clem. VIII. Bullar. tom.* 3. §. 53. legitur: *Idem suavis odor quandoque efflat, qui ab iis sentitur, quos Divina Bonitas eo munere dignatur.*

55. Ad 7mum. Testis, unicus licèt, si juratus sit, & omni exceptione major, saltem facit semiplenam probationem. Fuit autem juratus; nam Notarius testatur, se Juramentum recepisse ab omnibus juratis, sub quorum nomine etiam comprehenduntur testes. Ex hoc autem, quòd unus dicat, se odorem hunc in prima sacri Corporis Visitatione sensisse, non sequitur, quòd non alii etiam illum senserint: & si solus sensisset, hoc ipsi fidem non detrahit, sed magis gloriam auget; quia fortasse tum solus dignus reputatus est, ut cælestem odorem istum perciperet. Quòd verò etiam posito, hunc odorem perceptum fuisse ante Beatificationem, nihilominus effluvium odoris istius, tanquam novum Miraculum, allegari possit etiam pro Canonizatione, constat ex *Num.* 48. *in fine*, & patet à paritate cum continuatione Incorruptionis in Miraculo præcedente assertâ: de quo vide *Num.* 26. & 36.

MIRACULUM IV.

Civitatis Neapolitanæ liberatæ ab Incendio Vesuvii.

56. ANno 1631. Civitas Neapolitana in præsentissimo erat periculo totalis excidii à Monte Vesuvio, qui sub anni illius finem, Mense Decembris, horrendum in modum exarsit. Principium datum est 12. ejusdem Mensis, quâ audiri cœperunt horridi intra Montem sonitus, & mugitus, quibus concussa vicinia, tanquam à Terræ motu intremuit. Die 13. & duobus sequentibus ex aperto per immane spatium ore Vesuvii, cum maxima arenæ, & cineris quantitate, ejiciebatur fumus adeò densus, ut aër totus obscuraretur. Tandem die 16. in apertum erupit incendium; nam continuantibus tremendis illis mugitibus, & terræ motibus, ingentem flammarum, & ignitorum lapidum vim cœpit evomere. Quare ad placandum DEUM conversa Urbs, post indictas in omnibus Ecclesiis coram Sanctissimo Evcharistiæ Sacramento exposito preces, eadem die 16. sub vesperum prolatum sacrum Caput, & Sanguis S. Januarii, qui in ejusmodi incendiis aliàs sæpe patrocinium Civitati probaverat, institutâ confertissimi populi supplicatione, ad Pontem S. Mariæ Magdalenæ deportatum est. Quo facto, stiterunt quidem rivi ignei, & torrentes aquæ bituminosæ, qui ex ore Vesuvii versùs Civitatem magno impetu decurrebant, insperatúsque affulsit Sol, eructatio tamen flammarum, quæ in altitudinem, & latitudinem maximam se portendebant, suo in vigore mansit: imò post paulùm rabies ardentis Montis majori cum terrore desæviit; nam superioris crateris voragine magis auctâ, in circumfusos campos torridus cinis, mixtus flammarum torrentibus, reassumptis viribus, atrocius debacchabatur.

57. Plures deliciosæ villæ, & præclara Oppida vi ignea absorpta fuerunt, ingensque hominum, & pecudum strages edita. Ipsi etiam Civitati regiæ præsens imminere videbatur excidium; nam horrida nubes cum globo supereminenti, ad instar pyramidis, seu columnæ ignitæ super verticem Montis apparuit, ex quo, tanquam ex incendiaria machina, exibant fulgura, tonitrua, & vis ingens lapidum ignitorum. Pyramis hæc super Civitatem Neapolim se inclinando, eandem propediem inundatura videbatur. Quare, post aliorum Divorum frustra imploratum auxilium, ad piam Excellmi Proregis insinuationem, ad patrocinium B. Jacobi afflicta Civitas sese convertit. Accedit ergo die 19. dicti Mensis Decembris, quâ ipsâ præsentius videbatur urgere periculum, ad tumulum

Beati

Beati P. Guardianus, eíque jussu S. Obedientiæ præcipit, ut aliquod dignaretur dare signum, an ire vellet adversus Vesuvium, periclitanti civitati opem laturus. Mirum dictu! statim dextrum crus elevavit Beatus. Signo igitur isto accepto, eâdem die sub horam 21. deportatur illius sacrum Corpus ad pontem S. Mariæ Magdalenæ, ubi, cùm fuisset ex humeris Religiosorum, qui illud portabant, in altari ad id. præparato depositum, P. Guardianus, arrepto Beati brachio dextro, globo illi fatali, qui tum maximè Neapolim versùs longo, piceóque tractu magno cum impetu jam properabat, benedixit. Vix hoc factum est, cùm iste, cœlesti hac benedictione perculsus, fugientis in morem illicò retrocessit, séque in vicinum mare ingenti cum stridore projecit. Obstupuerunt omnes ad hoc prodigium, atque DEO, & Beato Intercessori suo gratias agentes, Miraculum exclamârunt, cujus ut perpetua extaret memoria, rei istius seriem in fornice Capellæ, ubi Corpus sacrum Beati asservatur, pro grati animi monumento, per celeberrimi pictoris manum pia Civitas depingi voluit.

58. Quæstiones examinandæ.

Hac specie facti positâ, quæritur 1. utrum liberatio hæc civitatis Neapolitanæ ab isto Vesuviano incendio, quod eidem imminere visum est, Miraculo sit adscribenda? Et si Miraculi nomen meretur. 2. quæritur, an non potiùs beneficium istud sit adscribendum intercessioni Beatissimæ Virginis, & aliorum Sanctorum, maximè verò S. Januarii, cujus sacrum Caput cum ejusdem sanguine jam antea ad pontem S. Mariæ Magdalenæ contra incendium hoc delatum fuerat? Et denique si beato Jacobo tribuendum sit, 3. dubitatur, an omnes circumstantiæ facti, prout ad Miraculi declarationem requiritur, ritè probatæ sint?

59. Rationes dubitandi.

Rationes, quæ dubium hoc Miraculum reddere possent, sunt 1. mò Retrocessio hæc globi igniti repentina videtur fuisse naturalis; nam biduo, aut triduo post diem 19. Decembris, quâ Processio cum Corpore beati Jacobi est instituta, & gratia liberationis obtenta, secutum est solstitium, ubi propter rigorem hyemis, & longiores noctes facillimè venti Boreales afflant, præsertim circa tempus vespertinum, ubi die ad noctem inclinante facilè fieri potuit sensibilis mutatio in natura, & inde oriri venti. Fuit autem dicta supplicatio instituta vesperi, & ùt testis nonus asserit, ad pontem S. Mariæ Magdalenæ pervenit horâ circiter 23. Imò quòd eo tempore ventus flaverit, satis constat ex relatione P. Gregorii Caraffæ Theatini postea Archiepiscopi Salernitani, qui in sua historia de hoc incendio Vesuviano recenset, quòd statim ac supplicum devota acies cum Corpore Beati ad pontem venit, & vota DEO, Beatóque nuncupàvit, horrida illa nubes, quæ Neapolim versùs jam longo, piceóque tractu, aërem funesta caligine involvens, à ventis magno impetu agebatur illicò substiterit, & contrariis ventis eodem momento spirantibus, retrocesserit, & in vicinum mare sese præcipitaverit; quod confirmat unus ex testibus, citans eundem P. Caraffam. Neque obstat, quòd reliqui testes aut negent, aut non meminerint, eo tempore ventos spirâsse; nam, ùt ex Aristotele notat

Cardanus *de Variet. l. 1. c. 1.*

venti quandoque à superiori parte moventur ad inferiorem, & antequam ad terram perveniant, & à nobis sentiantur, motiones facere possunt super aërem. Hinc Medicus Sinibaldi, qui hanc Cardani animadversionem in relatione sua super hoc Miraculo facta adducit, ait quidem sibi persuasum esse, cessationem hujus incendii, & retrocessionem pyramidis ignitæ miraculosâ B. Jacobi ope impetratam, addit tamen, forsan illam in Tribunali Philosophico ad evidentiam non constituram. Et esto, quòd miraculosa esse probetur, tamen

60. 2dò. Non videtur esse ratio, cur liberatio ista, & cessatio incendii Vesuviani adscribenda sit potius beato Jacobo, quàm intercessioni B. V. & aliorum Sanctorum, quorum patrocinium non minùs est imploratum, præsertim verò S. Januario, quippe ad cujus honorem in memoriam dictæ liberationis Neapoli 16. Decembris habetur Processio annua, quæ propterea Patrocinium S. Januarii appellatur, ùt plerique testes affirmant. Alii verò tres testes dicunt, se nescire, quòd dicta liberatio ab incendio fuerit secuta ad intercessionem B. Jacobi, quin potiùs, quòd dicta Processio fiat in memoriam liberationis factæ à S. Januario. Imò vigesimus apertè ait, quòd, ubi portata est reliquia S. Januarii, per intercessionem ipsius cessaverint flammæ eodem tempore. Eidem S. Januario liberationem hanc tribuunt cit. P. Gregorius Caraffa *fol.* 950. & P. Joannes Baptista Masculi S. J. in suo Opere, cui titulus *De incendio Vesuvii* excitato decimo septimo Cal. Jan. anno 31. sæculi 17. edito 1633. ubi in fine ponit Ephemeridem dicti incendii, & per singulas dies, incipiendo à die 16. Decemb. usque ad finem anni, describit ea, quæ contigerunt, nec die 19. quâ dicitur facta fuisse solennis Processio cum delatione Corporis B. Jacobi, ullam prorsus mentionem de illo facit, cùm tamen meminerit Processionis factæ cum delatione sanguinis S. Januarii.

61. 3. Non videtur Miraculum hoc ritè probatum per testes, quippe qui inter se non satis concordant; nam 1. mò discordant circa tempus eruptionis Vesuvii; septimus enim dicit, illam incepisse 16. Decembr.

quod confirmat etiam nonus: contrà verò decimus ait, incendium sumpsisse initium 12. dicti mensis: & hujus assertionem credibiliorem facit assertio aliorum testium, qui deponunt, quòd institutâ sub die 16. solenni Processione Cleri, & populi cum gestatione capitis, & sanguinis S. Januarii, valdè fuerit diminutus impetus ignis; nam si verum est, quòd dicta die 16. jam cessaverint prædictæ eruptiones, non potuerunt eâ die sumpsisse initium, sed duodecimâ. 2. Non concordant testes circa diem cessationis; nam aliqui, ùt modò auditum, asseruerunt cessâsse eruptiones 16. alii verò deponunt, eâ die potiùs increvisse, inter quos præcipuè est secundus. Proinde tanquam testes inter se invicem collidentes, nihil probant.

Farin. *de testib. q.* 65. *n.* 2. & alii apud Rotam *decis.* 73. *n.* 20. *part.* 19. *recent.*

62. 4. Testes aliqui sunt merè singulares: & talis est testis octavus in eo, quòd dixerit, se vidisse lucidam nubem, ad cujus conspectum globus igneus ille apparens in aëre se præcipitavit in mare: quod nullus alius ex testibus observavit; consequenter ille est unicus. Similiter unicus est testis nonus, dum ait, quòd ultra globum illum ignitum visa fuerit stria ignea, instar magni serpentis, vel gladii igniti; alibi verò dicit, quòd fuerit similis pavoni extendenti caudam. Unicus pariter est testis decimus, dum ait, quòd globus ille fuerit instar columnæ, & nubis ignitæ: item decimus sextus, asserens, comparuisse stellam lucidam in aëre rectà supra Corpus Beati. Hæc diversitas circa unum, & idem objectum, cadens sub sensum visûs, utique minuit testium istorum fidem ex vulgatis.

63. 5. Non omnes testes sunt legitimi: & talis est testis septimus, qui deponit quidem de visu proprio, sed super facto, quod contigit, cùm adhuc esset puer decennis: proinde non probat juxta textum

l. 3. §. *lege Julia. ff. de testib.* Gratian. *discept. for. c.* 525. *princ.* Farin. *de testib. q.* 58. *n.* 1. Conciol. *resol. crim.* 2. *V. Minor.*

& cum effectu detegitur tanquam tenellæ ætatis nimis credulus, & minùs capax; credidit enim quibusdam Religiosis, quòd Beatus ad vocem P. Guardiani, in signum, quòd vellet ire contra Vesuvium, crus dextrum sponte suà elevaverit, de qua circumstantia nullus deposuit alius testis.

64. 6. Liberatio hæc non fuit instantanea; nam ùt septimus testis deposuit, 19. die Decemb. quidem post Processionem, institutam cum sacro Corpore B. Jacobi, diminutus fuit furor ille Vesuvianus, sed non cessavit omnino, usque dum post duos, vel tres dies ignes illi missiles omnino disparuerunt. Concordat testis octavus, juxta quem eructatio ignis, & cinerum cessavit primùm 21. Decembris. Nihilominus ad Quæstiones propositas

65. DICENDUM 1. Liberatio hæc civitatis Neapolitanæ ab imminente sibi per incendium Vesuvianum excidio meritò inter Miracula, per Divinam Virtutem, supra Naturæ vires agentem, numeratur. Relevantia istius in his tribus potissimùm videtur consistere. 1. In magnitudine periculi; nam globus ille igneus magnis passibus contra civitatem accelerabat, jámque super illam imminebat, talisque fuit, ut, quemadmodum testes deposuêre, sufficiens fuisset ad illam totam comburendam, & devastandam. 2. In liberationis ab hoc periculo instantaneitate; nam quamprimum sacrum beati Jacobi Corpus in ara super ponte S. Mariæ Magdalenæ ad hoc præparata depositum & cum ejus brachio benedictio data est, illicò globus ille igneus à civitate retrocessit, & præceps in mare effusus est. 3. In absentia causæ naturalis, cui retrocessio hæc, & præcipitatio adscribi possit; vel enim nullus tunc flavit ventus, qui machinam hanc igneam retroëgerit, vel si, quemadmodum P. Caraffa *l. cit.* narrat, nubes illa ignea, quæ à ventis magno impetu Neapolim versùs agebatur, contrariis ventis mox spirantibus, retrocedere coacta est, idipsum miraculo factum est, cùm nulla hujus repentinæ ventorum mutationis causa naturalis afferri possit, ùt infrà *num.* 68. ostendam. Certè Ecclesia hujusmodi liberationes ab incendiis Vesuvianis, intercessione S. Januarii jam antè sæpius factas, inter Miracula jam pridem retulit, dum in Lectione sexta, quam in Festo istius recitat, postquam asseruit, Corpus Divi multis Miraculis claruisse, hæc verba legit: *Sed illud imprimis memorandum, quòd erumpentes olim è monte Vesuvio flammarum globos, nec vicinis modò, sed longinquis etiam regionibus vastitatis metum afferentes, extinxit.* Eodem igitur etiam jure Miraculo tribuenda est præsens liberatio adeò repentina, præsertim cùm hæc sit semperque fuerit in civitate illa communis persuasio, quòd res ista omnes naturæ vires excesserit.

Decisio Quæstionum.

66. DICENDUM 2. Miraculum hoc saltem quoad ultimam partem, & totalem liberationem ab incendio Vesuviano adscribendum est intercessioni B. Jacobi. Agnovit hoc ipsemet Rmus Promotor fidei, qui in Animadversionibus suis ad hoc Miraculum fatetur, quòd beatus Jacobus in hac liberatione habuerit magnam, eámque ultimam partem, seu complementum illius: & rationem dat; quia post Processionem 16. Decemb. in honorem S. Januarii institutam, periculum non cessaverit, sed recursum fuerit ad dictum Beatum, hujúsque Corpus 19. delatum ad pontem S. Mariæ Magdalenæ, ubi statim ad conspectum sacri pignoris globus ille formidabilis

lis fuit dejectus in mare: de qua processione, & præcipitatione etiam meminit dictus P. Gregorius Caraffa *in cit. Historia*, ubi refert, quòd machina illa ignea, cùm magno impetu ferretur super civitatem Neapolitanam, nullâque adesset salutis spes, ad aspectum S. Corporis illico substiterit, terga verterit, séque motu retrogrado in mare projecerit. Certè, si mediante illâ Processione, quæ instituta est priùs cum reliquiis S. Januarii, causa tam justi timoris cessâsset penitus, superfluum fuisset hanc ultimam cum Corpore beati Jacobi ordinare. Utrique ergo pars sua est tribuenda: & quidem S. Januario, dum prorumpentis incendii ferociam primùm mitigavit, ob quod beneficium grata civitas solemnem Processionem ad diem 16. Decembris honoribus illius instituit annuis temporibus celebrandam: beato Jacobo autem proprium manebit illud, quod 19. ejusdem mensis evenit, ubi opus liberationis integrè complevit, ob quod idem populus Neapolitanus in fornice Capellæ pingi fecit prædictæ Processionis, & fugientis globi igniti imaginem, simúlque Electi ejusdem civitatis exinde occasionem sumpserunt per Cardinalem Columnam solicitandi Canonizationem beati liberatoris sui, ut patet ex Epistola ab ipsis scripta dicto Eminentissimo principio Anni 1632. ubi liberationem ab hoc tremendo incendio Vesuviano adscribunt particulari beneficio Beati: quod pariter confirmârunt in duabus aliis Epistolis tunc scriptis Cardinali S. Onuphrii, & Cajetano.

67. DICENDUM 3. De hoc Miraculo, & omnibus ejusdem circumstantiis sufficienter constat ex depositione septem testium de visu, quibus accedunt plures alii testes de auditu ab eorum majoribus, quorum testimonium in re tam antiqua, & ubi, qui hujus rei eventui præsentes fuerunt, plerique jam mortui sunt, deberet solum sufficere. Et quidem 1. quòd globus ille ignitus properaverit versùs civitatem, de visu deponunt testis 2. 7. 8. 9. 10. & 16. 2. Quòd post datam benedictionem cum brachio Beati machina illa ignivoma retrocesserit, & se præcipitaverit in mare, iterum de visu deponunt testis 2. 7. 8. 9. & 10. 3. Quòd in reditu à Processione, cum Corpore B. Jacobi 19. Decembris institutâ, circa horam secundam noctis, apparuerit cælum serenum, atque in hoc luna, & stellæ, sícque tota tempestas cessaverit, cùm priùs in itu fuerit quasi nox, tenebris adeò densis, ut, licèt plenâ adhuc die exiverit Processio (nam horâ 21. initium ei datum) vix tamen, qui Processionem comitabantur, seipsos invicem videre possent, ùt affirmat testis septimus, & concordant nonus, ac decimus sextus. 4. Quòd, cùm delatum fuit Corpus Beati, nulla alia simul delata, vel ostensa fuerit reliquia, testantur omnes, qui proinde uno ore Miraculum hoc tribuunt intercessioni ejusdem Beati, ad quem solum eo die recursum fuisse factum, & auxilium invocatum ajunt, ita, ut nunquam aliquid in contrarium dictum, vel auditum fuerit, ut præ cæteris refert testis septimus, & nonus. Addit testis decimus sextus specialiter, se observâsse cum aliis, quòd quando Corpus Beati stabat in ponte S. Mariæ Magdalenæ, super eo comparuerit stella quædam lucida, quæ communiter accepta fuit pro argumento futuræ gratiæ; octavo autem testi visa fuit tanquam nubes lucida, ad cujus conspectum machina illa ignea retrocessit. 5. Denique de notorietate hujus facti præ cæteris deponunt testis septimus, nonus, decimus, & secundus, qui cum aliis affirmant, miraculum hoc ab omnibus fuisse attributum beato Jacobo, & de hoc fuisse hactenus semper, & adhuc esse communem famam: quod ipsum etiam loquitur pictura suprà *Num. præc.* relata, in fornice Capellæ seriem hujus rei commonstrans.

Ex dictis patet Responsio ad Argumenta opposita. Ad 1. quòd liberatio hæc miraculosè obtenta sit ad intercessionem B. Jacobi, manifestè constat ex iteratò allegata narratione hujus facti, editâ à P. Caraffa, ex unanimi depositione testium de visu, & ex communi, & perpetua fama, ipsóque sensu Ecclesiæ, quæ, ùt *Num.* 65. videmus, similes liberationes, intercessione B. Januarii impetratas, inter miracula præ aliis memoranda recensuit. Neque certitudini, aut qualificationi hujus Miraculi derogare potest, quòd impulsus ille, quo machina ignivoma retroacta, & in mare præcipitata est, potuerit causari à ventis contrariis; quia in Miraculis examinandis considerari debet, non quid fieri potuerit, sed quid factum sit. In præsenti autem casu aut nulli afflabant venti, cùm testes de visu fateantur, se non meminisse, quòd tum ventus aliquis afflaverit, imò se credere, non extitisse tum ventum ullum: vel si afflaverunt venti contrarii, quorum impulsu, ùt vult P. Caraffa, globus ille igneus à civitate repulsus, & in mare præcipitatus est, hoc ipsum, quia venti isti eo temporis momento spirare cœperunt, quo Corpus Beati ad aspectum machinæ illius ignitæ delatum, ejúsque brachio benedictio data, ipsíque Civitas supplices preces obtulit, censeri debet causatum non à ventis tanquam causa naturali, sed ab ejus virtute, à quo ipsi, tanquam causæ famulatrices, & ministri Omnipotentiæ Divinæ sunt excitati. Nemo autem ignorat, quòd nihil detrahat substantiæ Miraculi, si media etiam humana adhibeantur, cùm plura hujusmodi extent exempla in Scriptura sacra, ùt notant Interpretes videlicet de felle piscis, quo To-

68. Respondetur ad Rationes oppositas.

bias senior visum recepit, de collyrio ex luto, & saliva, quo servator noster ad illuminandum cæcum natum est usus, quæ inter miracula indubitata recensentur, licèt sic applicata media amaritudine, & salsedine sua fortasse aliquid ad abstergendum impedimentum visionis servire potuerint;

ùt notat Contilor. *de Canoniz. Sanct. c.* 17. *n.* 2. Castellin. *de certit. Glor. Sanct. pag.* 408. *punct.* 31. *per tot.*

Et quòd Omnipotentia Divina ministerio ventorum usa sit ad patranda miracula, habemus exemplum

Exod. 14. *v.* 21.

ubi, *cùm extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi, & urente tota nocte, & vertit in siccum, divisáque est aqua &c.* & sic filii Israël transiveruntper siccum: & nihilominus transitus iste semper fuit miraculosus reputatus. Similiter

Dan. 3. *v.* 49. *&* 50.

habemus, quòd *Angelus Domini descendit cum Azaria, & sociis ejus in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit*: quæ actio iterum ab Ecclesia creditur miraculosa extitisse, quia ventus idcirco excitatus fuit, ut flammas arceret, ne pueros læderet. Pariter ergo Miraculo adscribi in præsenti casu debebit, quòd venti contrarii excitati fuerint, ut facerent voluntatem DEI, ad intercessionem servi sui B. Jacobi civitatem ab exitio liberare volentis, cùm liberatio hæc fuerit subitanea, & in his circumstantiis naturaliter non sperabilis. Unde pro hoc casu applicanda est communis doctrina, juxta quam ad dignoscendum, an actus hujusmodi, in quibus media naturalia interveniunt, pro Miraculo habendi sint, ponderari debet, an talia media principaliter, vel secundariò tantùm, & ùt instrumenta Omnipotentiæ Divinæ, ultra vires naturæ operantis, agant, quod decidi & determinari unicè potest ex circumstantiis. In casu autem nostro tales sunt circumstantiæ, quæ demonstrent, imperio beati Jacobi, DEO annuente, ventos, & naturam humiliter paruisse.

69. Ad 2. S. Januarii patrocinio procul dubio tribuendum est, quod gestum est 16. Decembris, ubi primùm prorumpentis incendii ferocia mitigata est; & hinc meritò in ejus beneficii memoriam grata civitas instituit supplicationem annuam: beato Jacobo autem negari non potest, quod contigit die 19. ejusdem mensis, qua die civitas ab imminenti periculo ex toto est liberata; ob quod idem populus Neapolitanus ultra acclamationem Miraculi statim factam, in templum cum sacro corpore reversus, in ejus honorem hymnum Ambrosianum cantavit, seriem rei in fornice templi depingi fecit, Canonizationem Beati per Cardinalem Columnam solicitavit, atque pro hoc opere expensas quascunque obtulit, & partim etiam in hunc finem solutas deposuit. Cum responsione ista concordat P. Caraffa, qui *in cit. Historia sua* initium gratiæ refert S. Januario, complementum autem operis B. Jacobo: quod etiam fatetur Rmus Promotor fidei, ùt dictum est *Num.* 66. Atque ista fuit etiam communis persuasio totius civitatis, quæ plurimùm est attendenda; neque enim credibile est, quòd universus populus decipiatur: & inde invaluit adagium, *Vox populi, vox DEI*, de quo S. Aug. *Exposit. Psalm.* 32. *Ipsa lingua popularis*, inquit, *plerumque est doctrina salutaris*; Et auditores Rotæ

in relatione S. Elisabethæ Reginæ Portugalliæ p. 2. *tit. de Sanct. Vit.*

Ipsa universalis reputatio, ajunt, *vox populi, nec immeritò, vox DEI appellatur.* Nec dissentire videtur P. Masculus in sua Ephemeride; quia licèt ipse pro primo liberatore agnoverit S. Januarium (quod à nemine controvertitur) attamen alios non excludit: quin imò continuationem Vesuviani incendii post diem 16. Decembris longè extendit, & sic evidentissimè fatetur, gratiam eo die non fuisse totaliter impetratam. Quod ipsum habetur ex depositione testium, præsertim decimi, qui ait, post Processionem S. Januarii venisse homines ex vicinis Vesuvio locis, hósque nuntiâsse, rivos quidem illos ignis, & aquarum bituminosarum, qui versùs civitatem decurrebant, stitisse cursum suum, montem verò Vesuvium flammas adhuc in stupendam altitudinem, & latitudinem spargere, ita, ut videretur imminere dies extremi judicii; quod ipse testis propriis oculis conspexit, imò cum cæteris testibus addit, post Processionem S. Januarii auctam fuisse ominosam illam Pyramidem, & apparuisse horridiorem, quàm unquam antea, maximè die 19. Decembris, ac propterea, quia nondum cessavit periculum civitati Neapolitanæ imminens, sed potiùs ei Vesuvius majora minabatur damna, eâ die institutam fuisse Processionem cum corpore Beati. Quod additur de invocatione B. Virginis, & aliorum sanctorum civitatis Patronorum, verum est, initio illos invocatos esse, & in variis Processionibus deportatas eorum reliquias; sed quia ad invocationem istorum nullus effectus consecutus est, credi debet, illos honorem liberationis voluisse relinquere S. Januario, & B. Jacobo, qui beneficium hoc ita inter se diviserunt, ut prior initium, posterior complementum, & totalem liberationem sibi assumeret. Certè in hac ultima parte Miraculi nullus alius Sanctorum intervenisse credendus est, cùm, prout ex quatuor

tuor testium depositione constat, die 19. Dec. quâ plena liberatio contigit, in Processione non fuerit portata alterius Sancti reliquia, neque facta alia Processio, sed solùm in ea Processione fuerit portatum Corpus beati Jacobi, ad quem solum ea die factus est recursus: & propterea ajunt, communiter liberationem fuisse adscriptam B. Jacobo, idque fuisse publicum, & notorium, ac manifestum eo tempore, & famam hujus rei perseverare usque in hodiernum diem.

70. Ad 3. Discrepantia illa testium facilè conciliari potest: Et quidem prima circa tempus eruptionis Vesuvii, si distinguatur inter motus primos, & inter ipsam eruptionem flammarum ex monte Vesuvio. Primi motus Vesuvii inceperunt 12. Decembris: & de his intelligendus est testis decimus; ait enim ea die incepisse terræ motus, fumum, & cætera præliminaria, quæ incendium præcesserunt, & hæc continuâsse per tres reliquos dies. Eruptio autem flammarum secuta est die 16. ejusdem mensis: & hoc ipsum affirmat idem testis decimus; ait enim, ea die mane se vidisse evomi flammas altissimas ex Vesuvio, consequenter concordat cum reliquis testibus, qui pariter dicunt, eruptionem flammarum contigisse eadem die. Quoad alteram putativam oppositionem testium pariter distinguendum est inter mitigationem periculi, & inter totalem cessationem illius. Omnes testes in hoc concordant, quòd die 16. post institutam Processionem cum capite, & sanguine S. Januarii rivi illi ignei, ex Vesuvio decurrentes, cursum suum aliquantùm stiterint, & cessantibus accidentibus suprà dictis, vis incendii parùm fuerit mitigata: addunt tamen eam non fuisse totaliter superatam, & extinctam; nam, ùt iidem fatentur, machina illa incendiaria persistebat, imò in dies magis augebatur, comminando toti civitati eversionem: ideò expediens visum fuisse, die 19. ejusdem mensis recurrere ad intercessionem B. Jacobi; sacrum proinde Corpus istius, comitantibus cunctis Ordinibus, & Ministris civitatis, ipsóque Eminentissimo Archiepiscopo, & Excellentissimo Prorege processionaliter delatum fuisse ad pontem S. Mariæ Magdalenæ, ac tum demum ad benedictionem, cum brachio ipsius datam, machinam illam adeò minacem, & horridam, à civitate repulsam, se projecisse in mare, sicque urbem liberatam totaliter extitisse. Ita omnes testes, præsertim 10. & 11mus. ut adeò circa hic opposita nulla reperiatur in testium depositionibus oppositio.

71. Ad 4. Testis 16tus. 9. & 8. testis concordant in hoc, quòd illa apparentia fuerit instar sideris; ait enim testis octavus, nubem illam lucidam, quam se dicit vidisse, apparuisse in forma rotunda, tanquam lunam, quæ orbem compleverit: consequenter uterque in substantia depositionis concordat, & sic duo sunt testes de hoc facto, & non unus tantùm. Similiter cum teste nono, dum ait, ultra globum illum ignitum visam fuisse striam igneam instar serpentis, aut gladii ignitl, concordat quoad substantiam testis decimus, & testis primus, & solùm differunt in nomine, dum quod nonus dicit striam, decimus simile ait fuisse columnæ, & nubi ignitæ, primus verò trabi ignitæ. Cum hoc decimo teste concordant etiam alii, qui unanimiter dixerunt, quòd ex vertice montis se elevârit quædam columna, seu pyramis cum supereminente globo igneo. Est autem in depositionibus testium attendenda concordia quoad substantiam, ùt optimè firmavit

Rota *decis.* 372. *n.* 2. *p.* 13. *& decis.* 347. *n.* 21. *p.* 19. *recent.*

Imò testes majorem fidem merentur, si per eadem verba non deponunt, & tamen in facti substantia conveniunt

l. 3. §. *ideo. ff. de testib. Farin. de testib. q.* 65. *n.* 16. Gregor. *decis* 55. *n.* 3. *& decis.* 621. *n.* 5. *p.* 18. *recent.*

Ad 5. Circumscriptâ etiam hujus testis depositione, supersunt tot alii testes, qui superabundant ad constituendam in gradu perfectissimo hujus facti probationem, ad quem effectum aliàs duo sufficerent 72.

Contilor. *de Canoniz. Sanct. c.* 18. *n.* 13.

Deinde quilibet major effectus de jure idoneè potest testificari de iis, quæ vidit, vel audivit etiam in pupillari ætate.

Gloss. *in l. testium* §. *Lex Julia. V. impuberes*, & ibi Bartol. *ff. de testib.* Card. de Luca *de Jurisd. disc.* 3. *n.* 6. *& de testam. disc.* 26. *n.* 4. Item *de Judic. disc.* 30. *n.* 42. Rota *decis.* 75. *n.* 9. *&* 10. *p.* 10. *recent.*

ubi monet, quòd ad hunc effectum dicatur pubertati proximus etiam, qui est decem annorum: eóque magis, quia agitur de facto valde notabili, cujus memoria semper retineri solet, ut contrariam regulam limitando, individualiter tradit

Card. de Luca *de Judic. disc.* 32. *cit. n.* 54. *fin.*

Ad 6. Testis decimus refert, quòd alterâ post Processionem, in honorem B. Jacobi habitam, die nempe 20. mensis Decembris manè vix apparuerit in montis vertice parùm aliquid ignis debilis, & fumus admodum modicus, & hoc ipsum modicum semper decreverit, & postea die 21. nec ignis, nec fumus ampliùs apparuerit. Et esto, quòd non totum incendium simul extinctum fuerit, hoc Miraculo nihil derogat; nam nec Miraculum tollit in sanationibus morborum, si ex his aliquis dolor, vel debilitas remanserit, cùm sufficiat ipsum periculum mortis fuisse instantaneè depulsum, ùt cum aliis notat 73.

Matthæucc. *de caus. Beatif. & Canoniz. tit.* 3. *c.* 1. §. 6. & 7.

In hoc nostro casu ad datam cum brachio B. Jacobi benedictionem in momento, præcipitatâ in mare ignivomâ illâ, & terribili machinâ, totale periculum cessavit: consequenter non obest ille exiguus ignis, & fumus residuus, quippe qui aliàs sæpius ex illo monte sine noxa ejicitur.

MIRACULUM V. & VI.

Instantaneæ liberationis Nicolai Gambacurtæ à cæcitate, & hujus reincidentia.

74. NIcolaus Gambacurta, barbitonsor Neapolitanus, ob humiditatem in viridario suo, ubi pro custodiendis arborum fructibus in seram noctem sæpius remansit, ad se attractam, diffusamque in cerebrum, ac deinde prolapsam in nervos opticos, sensit ex improviso densum quendam humorem ad instar panni cadere in oculum dexterum, qui bidui spatio in illo oculo visum ei ex toto eripuit. Post duos alios dies eadem calamitas invasit etiam oculum sinistrum, & hunc privavit omni facultate videndi. Chirurgus ad curam vocatus, recognito oculorum statu, pronuntiavit, morbum istum esse speciem quandam *Guttæ serenæ*, à qua obstruuntur nervi optici, & impedito spirituum transitu læditur facultas, & usus humoris vitrei, cujus proprium est repræsentare cerebro species intromissas: hinc edixit, morbum esse incurabilem, atque ideò curam deseruit; quia tamen infirmus atrocissimo capitis dolore vexabatur, ad hunc mitigandum certas quasdam pilulas ipsi præscripsit.

75. Adhibiti ergo sunt alii duo Chirurgi, qui credebantur peritiores esse in arte; sed etiam ipsi morbum judicârunt incurabilem. Unus tamen ex iis oculis instillavit aquam quandam, quæ magnum in iis excitavit ardorem, illósque intra viginti octo dies exsiccavit, & retrocedere fecit penitus, ita, ut palpebræ omnem suum motum naturalem amiserint, nec ampliùs aperiri potuerint. Rejectâ igitur aquâ illâ, fuit applicata compositio quædam, seu *Pasta*. Verùm cùm & illa nihil profuisset, curâ jam desperatâ, ægrotus ipsemet ad temperandum ardorem, quem usus medicamentorum in oculis illius excitaverat, suomet consilio applicavit certam aquam fœniculi cum saccharo, quæ ardorem quidem illum oculorum aliquantùm temperavit, quin tamen juvaret contra cæcitatem. Usus est remedio isto 40. circiter dierum spatio, & postea cessavit tam ab hoc, quàm ab omni alio remedio, quippe deposita jam omni spe sanitatis recuperandæ.

Duravit cæcitas ista per sex circiter menses. 76. Intra hoc tempus, mense tertio, aut quarto à principio cæcitatis, nocte aliqua in lecto decumbens, cùm infortunium suum apud se consideraret penitiùs, & videret, quòd non ampliùs indigentiis domûs suæ posset prospicere, in desperationem actus, ex lecto se proripuit, pérque scalam ad cisternam, quæ domi aderat, descendit, animo se in illam projiciendi, sícque finem imponendi miseriæ suæ. Verùm ne istud perficeret, ab incognita quadam manu est impeditus, à qua tangi se sensit in humero, simúlque clara voce inclamari, ut sisteret. Perterritus ignota voce, altùm ipse inclamare cœpit, ita, ut uxor, & cæteri familiares excitarentur è somno, qui vocem ægroti agnoscentes, conquisitum, & denique apud dictam cisternam inventum, ad proprium cubile reduxerunt, ubi ille in se reversus, tactúsque pœnitentiâ commissi peccati, animum ad meliora induxit consilia. Hinc postquam conscientiam Confessione Sacramentali expiâsset, sacróque epulo se refecisset, primùm se commendavit S. Antonio Patavino, in cujus Ecclesiam bis, aut ter duci se fecit, missámque celebrari curavit cum Responsoriis, & insuper recurrit ad patrocinium Animarum purgantium; sed auditus non est.

In isto statu continuavit usque ad mensem Decembrem, ipsúmque pervigilium 77. Festivitatis B. Jacobi. Die illa ad cohortationem affinis sui Josephi Cenatiempo, hujúsque conjugis, propositum fecit altera die, scilicet ipsius Festivitatis visitandi sepulchrum Beati, & implorandi illius patrocinium. Cum hac cogitatione, nocte appropinquante, in lecto decubuit, ubi per somnum vidit Religiosum quendam, indutum habitu cineritio, gestantem in manu calicem, prout beatus Jacobus communiter pingi solet, qui ejus lecto humaniter appropinquavit. Quamobrem confirmatus in spe Beati hujus, quem sibi sub specie ista sibi figuratum non vanè credebat, patrocinio incolumitatem oculorum consequendi, altera die manè in Ecclesia Parochiali primùm ad honorem ejusdem Beati confessionem peccatorum fecit, & sacram Communionem peregit; domum verò reversus, post sumptum prandium, circa horam 19. cum uxore, socru, & cognata, aliis quatuor affinibus comitantibus, curru vectus est ad Ecclesiam S. Mariæ Novæ.

Ad hanc Ecclesiam ubi pervenit, januam 78. clausam reperit, quia tum Patres prandio assidebant. Hac verò post dimidiam horam apertâ, ad ingressum templi, dimisso pallio, se humi prostravit, terrámque lingere linguâ cœpit: tum ad Capellam Beati, ipsúmque Altare, ubi sacrum illius corpus servatur, duci se fecit, coram quo

ite-

iterum prostratus in terram, & genu flexus, in manus accepit imaginem Crucifixi, huícque fiduciâ plenus supplicavit, ut ad intercessionem B. Jacobi ei lumen oculorum dignaretur reddere, simul protestans, se inde non recessurum, nisi gratiæ petitæ compos fuisset factus. Vix ista orsus, illico lumen oculis rediisse sensit; nam distinctè videre potuit Beati Corpus in tumba, ipsúmque caput, pedes, manúsque, & ipsos annulos infixos digitis, cæteráque omnia, quæ erant in Capella. Proinde alta voce *Gratia*, *Gratia* inclamavit; sícque Miraculum ingenti populo tum præsenti publicatum est. Post quod sanatus, affluens gaudio ex reportata oculorum incolumitate, rediit ad currum sine duce, & reversus est domum cum priori comitatu.

79. Post quinque circiter dies ab obtenta sic sanitate, circa horam prandii, miraculi famâ inductus, invisit illum chirurgus Santillus Sica, quo usus pro cura fuerat. Hic, ubi lustravit oculos, dexterum quidem plenè restitutum, in sinistro autem remansisse advertit aliquid veteris panni coloris cærulei cum aliqua excrescentia carnis in parte exteriori. Dicebat quidem Gambacurta, quòd hoc non impediret, quin optimè videret, passus est tamen sibi ab eodem chirurgo applicari quodquam unguenti genus. Post applicationem istam ivit cubitum, manè verò evigilans, sensit se in utroque oculo rursus cæcum, cum acerrimo dolore capitis. Quare missam sibi ab Episcopo ceram benedictam Innocentii XI. applicavit capiti simul cum imagine Beati, & frustillo de ejus habitu: post quod remisit aliquantùm capitis dolor, cæcitas verò totalis remansit. Agnovit ergo errorem suum, quòd, postquam cælestem Medicum expertus est, adhuc tamen opem humanam admiserit, totúmque tempus matutinum inter lacrymas consumpsit.

80. Post prandium, reassumptâ in patrocinio Beati fiduciâ, comitantibus iisdem, qui suprà, rediit ad Ecclesiam & Capellam, humíque serpens, ac terram linguâ lingens, petitâ veniâ, intercessionem Beati iterum magno fervore spiritûs invocavit. Nec defuit votis Beatus; nam eodem momento visum utriusque oculi denuo recepit, quam gratiam altâ voce inclamavit, ad quam vocem populus, & Patres accurrerunt, compulsatisque campanis, hymnus Ambrosianus est decantatus. Sanatus domum reversus non jam curru, sed pedes, statim cum omnium admiratione officium professionis liberè exercere cœpit, radendo barbam nescio cui famulo, mercedem autem ab hoc receptam in eleemosynam dedit pro animabus in purgatorio, vestem verò propriam, & uxoris nuptialem, prout id votô promiserant, in Sacello Beati ad perpetuum beneficii recepti monumentum suspendit. Ab isto tempore nec quidquam ampliùs læsionis in oculis sensit, & adhuc bene habet: quod tam ipse, quàm omnes ejus affines, item chirurgi, aliíque conscii hujus facti Miraculo, ad intercessionem B. Jacobi patrato, adscribunt.

81. Quæstiones examinandæ.

Hac specie facti positâ, quæritur 1. utrum sufficienter probata sit duplex hæc sanatio? 2. An meritò debeat, & possit haberi pro miraculosa, & excedente vires naturæ? 3. An possit, & debeat adscribi intercessioni beati Jacobi? 4. Quis de hac utraque sanatione sit chirurgorum, & aliorum Peritorum sensus? 5. An haberi debeat pro uno solùm, vel pro duplici, aut triplici Miraculo?

82. Rationes dubitandi.

Rationes dubitandi, quæ à Rmo fidei Promotore in contrarium propositæ sunt, maximè consistunt in punctis sequentibus. 1. Non fuerunt producti, & examinati Dorothea Serruta socrus Nicolai, Anna Ciliberto ejus affinis, frater Simon de Neapoli, & Marchionissa de Petrella, à testibus allegati in contestes, qui tamen & ipsi debuissent audiri, & fortè potuissent, cùm non doceatur, quòd ante examen testium jam obierint.

2. Joseph de Prisco de præsentia sua, & visu proprio tantùm deponit super secunda liberatione à cæcitate, super prima autem visûs recuperatione solùm deponit de auditu, quòd ab aliis hoc audiverit. Igitur signum est, quòd primæ liberationi præsens non fuerit. Dicit autem Gambacurta, eum fuisse præsentem; nam ait, eundem Josephum de Prisco secum in comitatu reliquorum accessisse Ecclesiam: consequenter inter depositionê Gambacurtæ, & hujus Josephi videtur erui contrarietas aliqua.

83. 3. Distinguendum est inter morbos in spiritibus, & inter morbos humorales, & adauctæ materiæ. Priores, licèt existimati incurabiles, aliquando tamen absque sensibili crisi soluti fuerunt; posteriores indigent successivis, & gradatis operationibus. Potuit autem cæcitas præsens fuisse morbus ex priori genere: consequenter non constat, istum fuisse omnino incurabilem naturaliter. Quod confirmat chirurgus Robustellus, qui in relatione sua asserit, morbum hunc fuisse referendum ad *Guttam serenam*, quæ nihil aliud est, quàm interceptio spirituum animalium, per nervos opticos ad oculos descendentium: potest autem talis interceptio fieri ab humoribus vel intra nervos illabentibus, vel ab humoribus collectis in anteriori parte cerebri, & nervos ab extra comprimentibus. Si primum contingat, Medicorum judicio ejusmodi cæcitas utique est incurabilis; si posterius, facilè, imò etiam repentè suscipere sanationem potest. Sic

Fabritius Hildanus *cent. 5. obs. 19.* refert, virum quendam ex assumpto vomitorio vehementi visum amisisse, eúmque

ejus-

ejusdem medicamenti beneficio recuperâsse; nam sicut humores nimiùm agitati, & versùs nervos opticos repulsi, illos comprimebant, ita iisdem postea eodem medicamento vacuatis, morbus solutus est. Similem historiam narrat

Sennert. *de morb. capit. p. 3. sect. 2. cap. 37.*

de quodam studioso per vehemens medicamentum derepentè obcæcato, & rursum restituto: additque, fœminas quasdam uterum gerentes, ex nervorum opticorum angustia obcæcatas fuisse, & post quatuor, aut quinque menses, vel tempore partûs visum recuperâsse. Et hinc

84. 4. non fuit morbus hic à chirurgis pronuntiatus absolutè incurabilis, sed conditionatè, dicendo, eum fuisse, si non incurabilem, saltem difficilis curationis, ita, ut potuerit spes concipi de recuperando visu, si non in utroque, saltem in uno oculo. Hinc applicatæ sunt primò certæ pilulæ, deinde alia medicamenta exsiccantia, & hoc continuatum per aliquot menses. Cùm ergo morbus iste ab humiditate contracta ortum habuerit, media hæc exsiccantia potuerunt præparare viam, ut post eorum usum, requisito tempore continuatum, ab oculis removeri obex, & ægrotus recipere visum potuerit. Et hoc fieri poterat eò faciliùs; quia cæcitas Gambacurtæ non fuit integra, & perfecta, quippe qui dolorem sentiebat perspiciendo in locum luminosum: consequenter umbratilem aliquem videndi usum habuit, atque adeò non fuit omnino cæcus; id quod etiam ostendit, dum arripuit Crucifixi imaginem de Altari, nemine adjuvante, illúmque stringens, servatorem per intercessionem Beati implorabat pro sanitate. Deinde

85. 5. dubitari meritò potest, an prima sanatio fuerit perfecta; nam in oculo sinistro remansit aliquod residuum panniculi colotis cærulei, & in parte exteriori quædam carnis excrescentia: & propterea chirurgus Santillus medelam adhibuit ad vestigia ista tollenda, & confortandam pariter potentiam visivam. Imperfectionem sanationis etiam indicat, quia ægrotus sequenti post primam sanationem nocte reincidit in cæcitatem. Solùm igitur vis constituenda videtur in secunda sanatione post iteratum accessum ad Capellam cum invocatione Beati. Sed etiam de hac dubitatio fieri potest; nam

86. 6. cùm secunda vice Gambacurta se commendaret B. Jacobo magnam vim lacrymarum profudit ex oculis. Igitur harum profusione fortè potuit ille humor, & tegumentum, quod virtutem visivam impediebat, dissolvi; poterant enim hæ lacrymæ, adeò ubertim profusæ, vim quandam effusionis criticæ, & ad recuperandam visionem per naturæ vires admodùm peculiarem habere, cùm non desint Medici, qui lacrymarum fluxum in ophthalmia laudaverint

cum Aëtio *Tetrab. 2. sem. 1. c. 2.* Avicenn. *tom. 1. l. 3. fen. 3. tr. 1. c. 7.* & Sennert. *Prognost. de Ophthalm. l. 1. pract. Medic. part. 3. sect. 2. c. 12.*

Denique

7. de hac secunda sanatione non deponunt duo chirurgi adhibiti pro cura; exinde enim consurgit inverisimilitudo, quòd cùm ipsi attribuerint Miraculo liberationem, nihil dicant de reincidentia in cæcitatem. 87.

Verùm dictis rationibus dubitandi non obstantibus CENSEO 1. satis, & abundè probatam esse utramque sanationem cum relatis in facti specie circumstantiis. 88. Decisio Quæstionum.

Nam 1. id habetur ex ipso Gambacurta, testante de facto proprio: & præter hunc 2. ex aliis sex testibus de visu, nempe 3. 4. 5. 6. 12. & 15. qui præsentes fuerunt utrique sanationi, ipsúmque Gambacurtam bis comitati sunt ad Capellam Beati: quibus 3. addi meretur testis 2. de auditu quoad primam sanationem, cui personaliter non interfuit, licèt tanquam ejus affinis, infirmitatem illius optimè noverit; de visu autem quoad secundam sanationem, cui præsens adstitit. Ulteriùs 4. adsunt de auditu duo alii testes, nempe 19. & 25. qui concordant in omnibus circumstantiis hujus duplicis sanationis. Denique 5. de propria scientia ratione qualitatis morbi deponunt duo chirurgi, qui fuerunt adhibiti ad curam. Igitur series facti videtur satis, imò abundè probata, quippe cùm aliàs ad plenam probationem cujuscunque rei constituendam sufficiant testes duo de visu, fide digni, & concordantes, hìc autem de visu proprio testes habeantur sex cum aliis de auditu.

CENSEO 2. Sanatio hæc Gambacurtæ à cæcitate meritò potest, & debet haberi pro miraculosa, & excedente vires naturæ; nam morbus, qui Peritorum judicio vel omnino est naturaliter incurabilis, vel difficilis, & longæ curationis, non potest naturaliter, nullâ præcedente crisi, in instanti curari, quippe cùm natura gradatim operari soleat, ùt cum aliis notat 89.

Card. Laur. *in 3. sent. tom. 4. D. 20. de Miracul. art. 5. n. 85. pag. 895.*

& ideo ex subitâ visûs recuperatione Miraculum evidenter concludi probat

Pignatell. *tom. 2. consult. 177. n. 11.*

talis fuit morbus Gambacurtæ in casu præsenti; nam

1. Morbus iste fuit vera cæcitas, ùt notat in relatione sua Medicus Lansicius in Peritum electus, & probatur ex consensu omnium testium: & hanc cæcitatem duo chirurgi pronuntiârunt incurabilem fuisse, ùt patet ex horum depositionibus: in quo licèt allegatus Lansicius fuerit opinionis 90.

nis contrariæ, & crediderit non fuisse desperatæ salutis, addit tamen eam fuisse curationis difficilis, illámque adhuc contumaciorem fuisse redditam imperitiâ eorum, qui manum curationi admoverunt: quam difficultatem curationis, & gravitatem morbi ostendit ex hujus specie; ait enim fuisse Ophthalmiam cum supernato panno, seu albugine, quæ ut depellatur ope artis, prolixo tempore, labore, & molestiâ indiget: & hinc si post invocationem alicujus Sancti, vel Beati, aut alterius servi DEI tollatur illico, vel intra brevissimam moram, atque oculus ad videndum iterum fiat expeditus, talis sanatio inter miracula saltem tertii generis est accensenda, ùt notat

Matthæucc. *pract. ad Caus. Canoniz. & Beatif. pertractand. tit. 3. c. 3. n. 6.*

91. 2. Sanatio utraque facta est in instanti, ùt luculenter patet ex facto; nam, ùt uno ore testes in Processu examinati testantur, & ipse sanatus, qui solus, veréque de recuperato statim oculorum visu testari poterat, in depositione sua confirmat, statim post preces ad altare Beati peractas perfectè, & distinctè vidit omnia: & licèt post applicationem medicamenti à chirurgo ad tollendum residuum panni, & carnis excrescentis tollendum accepti statim iterum visum perdiderit, post reditum tamen ad Ecclesiam, & altare Beati, veniam petitam, & preces repetitas, iterum in momento eundem visum recepit, prout asserunt testis 2. 3. 4. 5. 6. 12. & 15. neque amplius passus est quidquam in oculis, ùt præter testem 3. 6. 12. & 15. confirmant testis 17. & 20. cum ipso sanato, adeò, ut neque de instantaneitate, neque de perfectione sanationis ullum sit dubium.

92. 3. In hac sanatione nulli intervenerunt motus seu spontanei, seu critici, ab arte, vel casu procurati, quibus sanatio ista adscribi posset. Non ab arte; quia remedia ægroto applicata vel erant improportionata, & malè applicata, ùt putat Medicus Lansici, vel infirmiora malo, adeóque frustranea: & propterea, cùm post applicationem horum continuatam non solùm non cederet malum, sed etiam crescceret, ùt cum sanato affirmant duo chirurgi cum quatuor aliis testibus, ægrotus jam ab omnibus Peritis, etiam Empyricis derelictus, desperationi proximus fuisse legitur, neque tunc ùllum pharmacum sumpsit, aut oculis medicamentum admovit, cùm ad Beati opem convolavit. Sed neque à natura ulla motio critica in actu sanationis istius intervenit, vel eam præcessit: imò si intervenisset, non potuisset instantaneè ejusmodi crisis malum hoc tollere; quia universim modus operandi naturæ verè instantaneus non est, ùt ex Medicorum consilio decrevit S. Congregatio in relatione S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis *Mirac. 3. post mortem §. quarto:* præcipuè verò, & in specie per subitam crisin sanari nullo posse ophthalmiam diuturnam plurium mensium, cum panno, albugine, ac forsan cum pterygio, ùt in casu præsenti, conjunctam testatur cit. Lansicius, additque se apud observatores Medicos ne unicum quidem legisse citò sanatæ hujusmodi ferinæ Ophthalmiæ exemplum. Rationem istius dat, quia mala hujusmodi in oculis producuntur ab aggregato lymphæ, sanguinis, & succi nervei, à naturæ statu per conceptam acredinem, ac lentescentiam degenerantium, quibus proinde nervi, & vasa oculorum obstruuntur, sicque visum impediunt. Hinc necesse est, ut humores sic lentescentes liquentur, acredines dulcificentur, nervorum convulsiones tollantur, & sic obstructi tubuli ab hac crassa materia evacuentur, quod, præterquam per miraculum, illico, ac statim ulla ratione fieri non potest, sed tanto majori temporis intervallo indiget, quanto in oculis tenuiora sunt stamina, exiliora vasa, strictiores laminæ. Ex quibus omnibus, assumptâ Propositione majore *num. 89.* positâ, sequitur manifestè conclusio, sanationem, in casu præsenti factam, meritò posse, & debere pro Miraculosa haberi.

CENSEO 3. Miraculosam hanc sanationem posse, & debere adscribi Intercessioni B. Jacobi. Nam 1. de invocatione ipsius à Gambacurta coram ara Beati facta constat ex testibus examini in Processu subjectis, qui actui interfuerunt. 2. in ipso actu fervidi recursus ad dictum Beatum, ùt iterum uno ore testantur omnes examinati huic actui præsentes, illico, & in instanti Gambacurta recepit visum, & cùm istum ob temeritatem applicati medicamenti humani iterum perdidisset, post reditum ad Ecclesiam, & altare Beati, veniámque petitam, & preces repetitas, iisdem testibus rursus illum in momento recuperavit. Et hinc 3. miraculum hoc, ùt asserunt testis quintus, & sextus, ab omnibus attributum est intercessioni B. Jacobi, præsertim ab ipso sanato, & ejus uxore, qui suas vestes voto oblatas appenderunt ad parietem Capellæ pro æterno beneficii receptim onumento, ut præter sanatum affirmant testis 3. 4. 5. 6. 12. & 19. Neque obest, quòd idem Gambacurta initio invocaverit etiam alios Sanctos; nam gratiam sanationis primùm obtinuit post invocationem B. Jacobi, & accessum ad ipsius Capellam. Quare finis, & complementum operis est attendendum, non verò, quod vagè, & indeterminatè, nullo sequente effectu, tentatum fuit. 93.

CENSEO 4. Judicium Peritorum, & aliorum tum præsentium huic facto, tum notitiam de illo habentium apertè stare pro miraculo isto. Nam 1. pro miracu- 94.

losa sanationem istam habuerunt duo chirurgi, & quidem ex his præcipuè ille, qui curæ ægroti diutiùs adstitit, prout depositiones illorum luculenter docent. 2. Miraculo illuminationem istam adscribit uterque medicus in Peritum electus, Dominus Sinibaldi, & Dominus Lansici, ùt habetur ex eorundem relationibus. 3. ejusdem sententiæ fuerunt, & sunt adhuc omnes facti istius conscii, prout deposuit ipse sanatus, & testis 3. 4. 5. 17. 23. qui simul deponunt, publicè ab omnibus sanationem istam fuisse judicatam miraculosam. Neque erroneum judicium istud fuisse probat, quòd vestigium aliquod panni, & carnis excrescentis in angulo unius oculi relictum fuerit post primam sanationem; nam ut suprà dictus Doctor Lansicius notat, hoc à Deo idcirco factum fuisse credi potest, ut signum aliquod non levis, sed magni mali debellati superesset in oculo; quod tum ægrotum, tum alios in fide firmiter detineret, ut de cicatrice relicta in carpo S. Joannis Damasceni scriptum legimus. Accedit, quòd cùm Gambacurtæ preces duntaxat tenderent ad obtinendam liberationem à cæcitate, & cæcitas omnino disparuerit, integra, & absoluta dicenda sit sanatio, quamquàm leve præteriti morbi vestigium superfuerit, quod nihil visioni officiebat, ùt ipse sanatus deponit.

95. Quoad quintam Quæstionem Medicus Sinibaldi putat, in hoc casu triplex concurrisse Miraculum, unum, quo primò sanatus est, Gambacurta alterum, quo in pœnam applicati remedii visum iterum perdidit, tertium, quo amissum denuo recuperavit. Medicus Lansicius duplex saltem in hoc casu agnoscit Miraculum: quod etiam insinuant Postulatores, dum iteratam hanc sanationem proponunt tanquam quintum, & sextum Miraculum. Videtur esse Quæstio de nomine: hoc saltem verum est, sanationem hanc esse unum perfectum, & consummatum Miraculum. Unde ut tale à S. Congregatione approbari posse, & debere censeo.

96. Respondetur ad Rationes oppositas.

Ad 1.mum non erat necessaria testium istorum depositio, quorum examen in hoc argumento deficere arguitur, quippe cùm aliunde jam habeatur sufficientissima probatio totius præsentis facti ex depositione sex testium de visu, & ipsius Gambacurtæ, in cujus persona Miraculum istud contigit: quibus quoad secundam liberationem à cæcitate accedit depositio etiam duorum chirurgorum, qui adhibiti fuerunt pro cura, & morbum pronuntiaverunt naturaliter fuisse incurabilem; ad probationem enim cujuscunque miraculi sufficiunt duo tantùm testes, modò sint fide digni, & in uno, eodémque facto quoad substantialia saltem concordent: quod maximè verum est, si probaretur, non potuisse plures, quàm duos examinari, vel quia præmortui, vel quia in longinquis agentes sunt. Imò licèt plures possint haberi testes, & in praxi, prout gravitas causarum requirit, plures, & plures examinari soleant, id tantùm est, ut tutiùs procedatur, non tamen secundùm necessitatem; neque enim lex ulla obligat ad inducendum, & examinandum omnes, qui de aliquo facto sunt informati.

Vid. Matthæucc. *Pract. ad caus. Canoniz. & Beatif. pertract. tit. 5. c. 2. n. 24.*

Ad 2. Gambacurta in hoc, quòd putaverit, Josephum de Prisco sibi ad Ecclesiam S. Mariæ Novæ, & tumbam B. Jacobi inter alios comitatum præstitisse, cùm cæcus tunc fuerit, facilè falli potuit: hinc Januarius frater Josephi de hujus interventu solùm deponit dubitativè. Deinde etiam dato, quòd cum aliis accesserit ad Ecclesiam, facilè contingere potuit, ut actui non intervenerit; erat enim tunc hora prandii, consequenter aliquamdiu oportuit exspectare, donec Patres à prandio surgerent, & Capellam aperirent: cujus moræ fortasse Josephus pertœsus, priùs inde discessit. Certè omnis de jure interpretatio capienda est ad testium dicta à contradictione, & mendacio salvanda, 97.

per textum *c. cùm tu. 16 de testib. & attest.* & Gloss. *ibid. V. benignè, & V. sed hoc dictum*, ubi *Delictum*, inquit, *non est facilè præsumendum, & in dubio facienda semper est benigna interpretatio pro illius exclusione.* Pich. *decis.* 618. *n.* 6. *& seq. & decis.* 101. *n.* 23. *p.* 12. *recent.* Matthæucc. *c.* 2. *cit. n.* 25.

A mendacio autem tanto magis præsumi debet idem Josephus de Prisco fuisse immunis; quia ex hoc nulla in eum redundasset utilitas, & interim tot alii testes de visu circa hoc factum deponunt: quin imò ipse Josephus testatur de illo tanquam testis de auditu quoad primam sanationem, & quoad secundam de visu.

Ad 3. Perpensis circumstantiis, quæ duplicem istam miraculosam sanationem comitantur, conspicuum redditur, cæcitatem istam sic, ùt factum est, naturaliter tolli non potuisse, sive deinde sequamur judicium chirurgi curæ, sive explicationem medici Sinibaldi in Peritum electi. Et quidem prioris judicio morbus iste non tantùm erat in spiritibus, nec absolutè *Gutta serena, sed ad instar Guttæ serenæ*, & complicatus cum panniculo, & excrescentia carnis: ideóque consistebat etiam in materia adaucta, quæ certè aut nunquam, aut saltem in instanti dissolvi naturaliter non poterat, prout experientia docuit; nam pluribus remediis, applicatis ante recursum ad intercessionem B. Jacobi, non cessit malum istud, neque solutum est, & post recursum, & jam obtentam gratiam, eorundem applicatione atrociùs desæviit, amissúmque fuit operatione naturæ, & artis, 98.

quod

quod gratiâ de thesauris suis supernaturaliter largiente, jam erat indultum. Posterior, nempe medicus Sinibaldi judicat, morbum hunc Gambacurtæ fuisse cataractam, & præter hanc suspicatur adfuisse pterygium, seu unguem oculorum, de quo Riverius prax. l. 2. c. 18. *Unguis oculi est membranula dura, & nervosa, quæ ex angulo oculi majori prodiens, album oculi primùm contingit, mox, & successu temporis ad nigrum extenditur, & pupillam tegendo visionem impedit.* Utrumque morbum dicit idem Sinibaldus esse quidem curæ quandoque capacem, sed cataractam, seu suffusionem non nisi per acum chirurgicam, pterygium verò per aeria, & corrosiva medicamenta, aut per manualem sectionem. Ut adeò, sive cum dicto chirurgo, sive cum hoc medico loquamur, morbus Gambacurtæ vel incurabilis, vel saltem difficilis admodum curationis fuerit, sicque instantanea ejus curatio necessariò pro miraculosa haberi debeat.

99. Ad 4. Si morbus iste non fuit ex se, & ex natura sua incurabilis, talis tamen postea factus est per medicamenta à chirurgis adhibita ob istorum insufficientiam, & improportionem; tantum enim abest, ut ex illis aliquod levamen ægrotus perceperit, ut potiùs in contrarium ipse, amissâ omni, & quacunque spe salutis, post horum usum in desperationem actus, constituerit se in cisternam projicere: quibus circumstantiis consideratis, nulla subest causa tribuendi recuperationem visûs medicamentorum applicatorum virtuti, sed totum referendum est ad intercessionem B. Jacobi, qui gratiam istam per humana media desperato obtinuit insigni isto miraculo. Unde non obest, quòd Periti morbum illius disjunctivè solùm dixerint vel absolutè incurabilem, vel saltem curatu difficilem fuisse, cùm ad miraculum parùm referat, cujusdam generis ex duobus istis morbus sanatus extiterit; sive enim ex natura sua ille incurabilis fuerit, sive talis, ut Professores artis nesciverint illum curare, ad miraculum sufficit, quòd cessante artis, & naturæ ministerio, in eo actu, quo ægrotus implorabat intercessionem Beati, illico, & instantaneè sanatio subsecuta sit. Similiter non obest, quòd idem Gambacurta ante gratiam impetratam umbratilem aliquem videndi usum habuerit; nam tunc temporis, & in via supernaturali pro verè cæco habendus erat, non solùm, quia suæ artis ministerio non ampliùs deservire, ac propriæ familiæ providere ullo modo poterat, sed etiam quia eodem miseriæ gradu videtur premi ille, qui umbratili tantùm visione gaudet, quo, qui integra cæcitate affligitur. Certè ficta ejusdem Gambacurtæ cæcitas esse non potuit, quippe quæ fingi quidem potest, quando oculi vel nullum, vel leve admodum visibile malum præferunt, non autem, quando, prout in hoc casu, premuntur malo visibili, & quod ex sui natura necessariò visûs hebetudinem, ac cæcitatem importat.

Ad 5. Non derogat substantiæ miraculi, si veteris morbi remaneant aliqua vestigia; quia hæc non tollunt effectum gratiæ, sed potiùs fidem conciliant miraculo. Videantur, quæ dicta sunt sub *num.* 94. Similiter non detrahit perfectioni sanationis primæ recidiva, in quam Gambacurta iterum prolapsus est: quin imò miraculum auget, quippe quæ ulta fuit hominis erga DEUM ingratam diffidentiam. Deinde, quæ de novo accidunt, non tollunt meritum miraculi jam patrati, prout exemplo S. Petronillæ, quæ primùm à S. Petro, ut discumbentibus ministraret, sanata, & postea ob majus illius bonum ab eodem iterum morbo oppressa est, probat 100.

Castellin. *de certit. glor. Sanct. pag.* 409. *punct.* 32. *per totum*, & Contilor. *de Canoniz. Sanct. c.* 17. *n.* 22.

Ad 6. Imprimis non omnes medici in asserenda utilitate lacrymarum ad ophthalmiam curandam concordes sunt: nam Schneiderus 101.

relatus à Boneto *theat. pract. tom.* 1. *l.* 2. *c.* 37. *pag.* 934. *n.* 26.

scribit, lacrymas copiosiores vim oculorum obtundere; quia caliginem ipsi pupillæ inferunt. Imò

Carolus Musitanus *lib.* 1. *Trutin. medic. c.* 18.

ait, ophthalmiam à lacrymis vel progigni, vel augeri. Nec ab ista sententia abludit

Wedelius. *de ophthalm.* §. 32.

ubi ait, copiosum lacrymarum profluvium in Ophthalmia non adeò bonum esse, & solummodo per accidens contingere, ut aliqui post lippitudinem acutiùs videant, discussis nempe humoribus, sed frequentiùs contrarium observari. Authores in hoc argumento allegati asserunt quidem, simplicem ophthalmiam cum lacrymis celeriùs quàm sine illis curari posse; non tamen promittunt ex lacrymarum profluvio sanationem instantaneam, præsertim in complicatis ophthalmiis, quemadmodum isthæc fuit, in qua pannus, albugo, & pterygium majorem vim ægro inferebant, quàm nuda oculorum inflammatio. Et ratio est, quia lacrymæ, suis è glandulis, extra oculi bulbum locatis, profluentes, externam quidem oculorum superficiem possunt abstergere, sed intra densam tunicarum texturam, vasorúmque exilitatem illico, atque in instanti penetrare non possunt, & multò minùs concretos iis in locis humores, pannum, & albuginem producentes, dissolvere & eluere. Quidquid sit de hac lacrymarum ad curandam ophthalmiam asserta utilitate, in præsenti casu certè prodesse non poterant, imò potiùs noxiæ esse debebant, quippe cùm jam antea Gambacurtæ oculi per medicamenta

à Chirurgo adhibita, amissâ necessariâ humiditate, ita aruerint, ut palpebræ non ampliùs potuerint aperiri: proinde per effusione lacrymarum magis debuerunt arescere, & exsiccari. Si aliquid conferre potuissent ad panniculum illum; qui oculis adhæserat, dissipandum (quod præstare certè non poterant) saltem in præcedentibus noctibus aliquod sublevaminis indicium præbuissent, quod tamen non contigit. Flevit Gambacurta non tantùm ante secundam sanationem, sed etiam ante primam, & multò copiosiùs; nam, ùt ex depositione testium constat, postquam à cisterna, in quam se ex desperatione volebat projicere, reductus est, totâ eâ nocte est lacrymatus, nec tamen hoc lacrymarum flumen ejusdem oculos abstergere potuit, sed eodem cæcitatis gradu ad duos, vel tres insequentes menses protracto, B. Jacobi patrocinium implorare coactus est. Lacrymæ igitur non crises naturæ, sed solius morbi, vel animi desperati, aut præ lætitia exultantis symptomata in ægroto hoc pro temporis diversitate, quo profundebantur, fuerunt. Flevit ille sæpius, & profusè, ex desperatione quidem, antequam consilium caperet se demergendi in puteum, hinc reductus ex animi pœnitentis affectu, in prima sanatione præ gaudio, amissô dein iterum oculorum usu, præ dolore, recuperato dein isto, præ consolatione recepti beneficii: ter lacrymæ sanationem prævenerunt, sed inutiliter ad hanc naturaliter obtinendam; bis eam sunt consecutæ, atque ideo causa illius esse non poterant. Unde dicendum, quòd lux in oculos istius ægroti delata non sit per aquas lacrymarum, sed per gratiam miraculosam, à DEO per intercessionem B. Jacobi misero isti in extrema sua necessitate impetratam.

102. Ad 7. Quòd duo Chirurgi, nempe Antonius Robustellus, & Petrus de Matthæis nihil dicant de Gambacurtæ prima à cæcitate liberatione, & subsecutâ in hanc reincidentia, obesse non potest; quia ipsi verisimiliter de ea non habuerunt notitiam, nec accesserunt ad Gambacurtam, prout fecit Chirurgus Santillus, qui habitâ ejus facti notitiâ, statim eundem visitavit, & recognoscere voluit sanatos oculos: satis est, quòd à tot aliis testibus, & ab ipsomet Gambacurta utraque liberatio probata fuerit. Proinde satis videtur liquere de gratia utraque intercessione B. Jacobi obtenta, & quidem istius tantùm; licèt enim antea, quàm primam sanationem obtineret, sese commendaverit etiam aliis Sanctis, & animabus in purgatorio, pro quibus etiam post impetratam secundò liberationem à cæcitate eleemosynas quasdam dedit, non tamen horum, sed beati Jacobi invocationem sanatio est consecuta. Eleemosyna, quam pro animabus in purgatorio dedit, tota constitit in mercede, quam pro barba tonsa post secundam sanationem accepit ab aliquo famulo, quæ proinde in paucis nummulis consistebat; ipsam verò gratiam Gambacurta recognovit à B. Jacobo, quippe qui majorem retributionem pro gratiâ obtenta tam ipse, quàm uxor ejusdem contulit, nempe vestem suam ille, hæc nuptialem. Pariter obesse non potest, quòd postquam sanatus in priorem cæcitatem recidit, oculis applicaverit ceram benedictam Ven. Papæ Innocentii XI. tum quia simul applicavit imaginem, & frustillum de habitu B. Jacobi, consequenter monstravit, se ab ejus patrocinio impetrando non recessisse; tum etiam, quia ex hoc nullum levamen sensit, sed gratiam repetitæ liberationis à cæcitate primùm recepit, ubi suum agnovit errorem, & iterum ad Capellam beati ductus, cum magna fiducia ejus patrocinium imploravit.

MIRACULUM VII.

Instantaneæ sanationis Ignatii Avelloni ab apostemate, seu tumore, & contractura in brachio dextero.

IGnatius Avellonus, Patritius Neapolitanus, An. 1677. cùm studeret Grammaticæ, in brachio dextero tumore adeò forti, tenacique correptus est, ut nervis vehementiâ illius attractis, nec brachium, nec ipsam manum & ne quidem digitos movere potuerit; remansit enim illud simul cum manu ad pectus attractum absque ullo sensu, & motu. Chirurgus putabat esse apostema; postquam verò, applicatis diversis medicamentis, nullum suppurationis indicium sese prodidit, sicque cognovit, apostema non esse, pronuntiavit, malum esse incurabile, & brachium necessariò rescindendum; aliàs actum fore de vita pueri. Ad quod nuntium parentes, & tota familia in lamenta prorupit; mater verò propositum fecit altero mane ducendi secum ægrotum filiolum ad Corpus B. Jacobi, dicens, se firma fide credere ipsum Beati patrocinio sanandum, quòd ipse esset protector domûs, & totius familiæ, licèt Medici desperaverint: id quod etiam fecit in comitatu plurium personarum. 103.

Agebatur eâ die festivitas Beati, & hujus argentea statua (quæ die hac ex templo Cathedrali ad Ecclesiam S. Mariæ novæ defertur, & octavâ transactâ in idem templum refertur) prostabat altari imposita. Coram hac igitur in genua provoluta mater, in hæc verba prorupit: *Beate Jacobe, non ibis hinc, nisi priùs mihi sanes hunc meum filium*; simúlque advocatum sacristam Capellæ rogavit, ut cum beati pileolo brachium filii vellet tangere. Et ecce! dum hoc præstat sacrista, tanquam si 104.

Beatus

Beatus arrestum statuæ suæ timeret, brachium læsum illico liberè movit ægrotus, & perfectè pristinam sanitatem restitutam sensit: quo viso, mater exultans prorupit in lacrymas, gratiisque DEO, ac Beato actis, læta cum filio domum rediit. Redeuntes vidit frater Ignatii natu major, conspexitque eundem liberè movere brachium, quam gratiam ex matris narratione intellexit intercessione B. Jacobi obtentam.

105. Ad majorem confirmationem sanitatis ita recuperatæ illico Ignatius arripuit calamum dextera manu, quæ ipsa sanata fuerat, & cœpit scribere eâ facilitate, acsi nunquam antea habuisset malum aliquod in ea manu. Remansit tamen aliquis tumor in brachio, qui, nullo applicato medicamento, intra tres dies evanuit: neque unquam aliquid mali ampliùs in illo brachio, & manu passus est sanatus spatio 24. annorum, quoad vixit. Medicus curæ, viso brachio, & manu sic liberatis, vehementer obstupescens, palàm, & apertissimè dixit, hanc liberationem esse evidentissimum miraculum B. Jacobi, ejusdémque sensûs fuerunt unanimiter omnes alii.

106. Rationes dubitandi de hoc miraculo sunt sequentes. 1. Nullus reperitur Medicus, qui examini se subjecerit; licèt enim Peregrinus de Peregrinis unus ex medicis pro cura adhibitis tempore confecti processûs jam decesserit, non tamen probatur, quòd etiam alii, quos curæ adhibitos constat ex depositione testis 20. 21. & 22. tunc similiter fuerint mortui. Et hinc tutò firmari non potest species, & indoles morbi, per consequens nec stabiliri, utrùm ille naturæ, & medicamentorum ope sanabilis fuerit, præcipuè quia dictus Peregrinus neque ipse qualitatem morbi satìs agnoverat, quippe qui primò dixerat esse apostema, postea verò mutavit opinionem, dicens non esse, non tamen explicans, quænam alia species morbi fuerit.

Rationes dubitandi

107. 2. Depositiones testium non rectè inter se concordant, præsertim in hoc, quòd varient circa genus morbi, dum aliqui deponunt de inflatura, alii de apostemate: imò ipse medicus, seu chirurgus, curæ adhibitus, in opinione sua variavit, dum juxta testem 20. primò dixit fuisse apostema, postea verò negavit. Testis verò sextus, præterqnam quòd sit de auditu tantùm, in pluribus discrepat à testibus ocularibus, ùt ex depositione illius liquet: consequenter detegitur satìs clarè, quòd non fuerit satìs informatus.

108. 3. Duo testes deponunt de facto, quod in puerili, imò infantili eorundem ætate contigit: talis est primò soror sanati, quæ est testis 26. dicit enim, sanationem contigisse ante annos 28. quo tempore non potuit fuisse major annis sex, cùm tempore examinis esset annorum 34. tantùm. Idem procedit de fratre sanati, teste 20. qui tempore examinis erat annorum 40. consequenter detractis annis 28. ante quos contigisse dicitur miraculum, erat solùm annorum 12. & sic deposuit de facto secuto in puerili ætate.

4. Eadem testis 26. non est de visu, nisi in eo, quòd post obtentam sanationem fratrem suum Ignatium viderit manu, antea læsâ, scribentem; in cæteris verò liquet, eam esse de auditu tantùm. Similiter de auditu tantùm est testis 22. ut adeò tota probatio restringatur ad unicum testem de visu nempe 21. domesticum sanati, qui pariter non est idoneus, nisi de invocatione Beati, cui fuit præsens: cæterùm quoad primum extremum solùm dicit, quòd Ignatius portârit brachium ligatum ad pectus, & addit se nunquam illud vidisse nudum; quoad secundum extremum verò solùm deponit de auditu. 109.

5. Morbum istum medicus Sinibaldi in Peritum electus non audet pronuntiare incurabilem, sed solùm non fuisse ritè curatum; quia chirurgus medicamenta adhibuit pro suppuratione apostematis, quale fuisse credidit, cùm tamen morbus potiùs constiterit in convulsione nervorum, ad quam solvendam alia, & propria medicamenta debuissent adhiberi. Deinde sanatio ejus non videtur esse instantanea; quia tumor quidam remansit, qui primùm intra quatuor, vel quinque dies recessit. Ut adeò tam ex defectu certitudinis de qualitate morbi, quàm ex non habita sufficienti probatione de instantaneitate sanationis, hujúsque perfectione non appareat, quomodo sanatio hæc inter miracula certa, qualia ad Canonizationem requiruntur, connumerari possit. 110.

His non obstantibus postulatores putant, sufficientem adesse probationem istius miraculi; nam 1. ajunt pro hoc stare tres testes de visu, nempe 20. 21. & 26. & duos de auditu, scilicet 6. & 22. qui omnes concorditer deponunt de invocatione intercessionis Beati, de accessu ad ejus Capellam, de applicatione pileoli ejusdem ad brachium infirmi, & de sanitate instantaneè recuperata. Ex quo indubitatam existimant esse illius relevantiam; nam 111. Rationes pro miraculo.

2. Quia remedia applicata nihil juvabant, sed potiùs augebatur malum, ùt soror sanati testatur, ideo ab arte humana cura illius jam erat desperata, & morbus à medico pronuntiatus fuit incurabilis, adeò, ut medium aliud salvandi vitam non superesset, nisi succisio brachii, prout attestati sunt testes 20. 21. & 26. Et tamen eodem instanti, quo implorabatur patrocinium Beati, sanatio est consecuta, prout asserunt testis 20. & 21. idque ita perfectè, ut statim, ubi domum rediit, sanatus eâdem manu dextera, 112.

quæ contractionis vitiò laborabat, potuerit scribere, ùt attestantur frater, & soror sanati, quæ addit, cùm medici condicto tempore rediissent ad resecandum brachium, illúdque observâssent denudatum, & motus à sanato cum eo factos, illos edixisse, omne malum esse dispulsum, nec sectione ampliùs ope esse. Et hinc

113. 3. Sanatio hæc, quia in instanti facta, pro miraculo fuit habita ab omnibus in tota domo, ùt affirmat cum alio domestico teste 21. frater sanati, qui adjungit, medicum curæ, viso brachio, & manu sic liberatis obstupuisse vehementer, & palàm dixisse, hoc esse evidentissimum miraculum, beati Jacobi intercessione patratum. Judicium autem medici curæ, cùm proveniat à Perito in arte, plurimum ponderis in miraculi probatione habere solet, ùt cum aliis notat

Franc. *var. c. 99. n. 55.*

quod confirmat continuatio sanitatis sic impetratæ, nam Ignatius semper deinde perseveravit incolumis, nec quidquam mali in brachio sanato sensit ampliùs. Accedit sententia medici Sinibaldi, in Peritum electi; nam hic, etsi non ausus sit pronuntiare, morbum hunc fuisse incurabilem, nihilominus non dubitavit asserere, repentinam illam solutionem nervorum ad invocationem beati Jacobi dubium non relinquere de existentia miraculi. Rationibus dubitandi pro parte miraculi negativa propositis, iidem postulatores putant satisfieri posse per sequentes responsiones.

114. Respondetur ad argumenta contraria, Ad 1. Esset quidem optandum in relatione morborum examen medicorum; quia ipsi, utpote Periti in arte, scientificè referre eorum ideam, initium progressum, statum, & declinationem possent; item describere symptomata, crises, & medicamenta à se applicata, quibus expositis, faciliùs valeret ferri judicium, an sanitas obtineri ope humana potuerit, vel potiùs miraculo sit tribuenda. Verùm non omnia, quæ juvare possunt, semper præstò sunt, prout factum est in casu præsenti, ubi principalis medicus curæ, Dominus Peregrinus interea mortuus est: & idem credibile est contigisse aliis medicis, pro cura adhibitis, cùm à tempore sanationis ad tempus examinis lapsi sint anni 23. Unde necesse est, ut contenti simus probationibus, quæ post tantum temporis lapsum haberi possunt. Putant autem postulatores, has sufficere ad plenam probationem, quæ habentur in casu præsenti; quia, ùt ajunt, tres, imò quatuor testes de visu adsunt.

115. Ad 2. Testes omnes in hoc concordant, quòd in brachio dextero Ignatii supervenerit quidam tumor, seu inflatura; promiscuè enim dicimus *inflaturam*, & *apostema*, cùm vocabula hæc coincidant, & sint æquivalentia: nam apostema nil aliud est, quàm tumor præter naturam, qui conficitur, cùm pus, e phlegmone resolutum, in quendam quasi sinum colligitur, & latinè abscessus nuncupatur. Quodsi testis 20. aliàs in hac scientia imperitus retulit, quòd medicus priùs dixerit, tumorem illum esse apostema, deinde verò, cùm post applicata medicamina ad suppurationem non perveniret, istud negaverit, intelligendum est, quòd non fuerit ex eo apostematum genere, quæ suppurabilia, & resolubilia sunt; tres enim sunt apostematũ species: una, quando apostema continet humorem fluidum, mellíque similem, & *melicerides* nuncupatur; & tale apostema facilè concoqui, & venire solet ad suppurationem. Altera est difficilioris concoctionis; quia continet humorem magis pinguem in modum sevi, & vocatur *steatoma*. Tertia, quæ pultis similitudinem refert, & *atheroma* dicitur, vix unquam ad suppurationem reducitur,

ùt tradit Hieron. ab aquapend. *Oper. Chirurg. de differ. tumor. c. 3. §. sunt quidem.*

Et tale credi debet fuisse apostema in casu præsenti. Sed, esto, quòd non fuerit apostema, necesse est, quòd fuerit tumor Gangrænosus, ùt colligitur, ex judicio medici, quo judicavit adesse necessitatem abscindendi brachium læsum: hoc autem si dicatur, crescit gravitas morbi, & magnitudo miraculi. Quod additur de teste sexto, hujus discrepantia à depositione testium de visu substantialia facti non afficit: ac propterea rejiciendus non est.

Ad 3. Soror sanati non absolutè, sed cum addito *circiter* dixit, factum hoc esse annis 28. ante examen. Unde cùm frater illius, qui est testis 20. assertivè dicat, sanationem Ignatii fratris sui contigisse An. 1677. & particula *circiter* aliàs capiat latitudinem, depositio sororis concordanda est cum depositione fratris, & illius dubitativa per hujus assertivam responsionem determinanda, 116.

juxta Theoricam Pauli de Castro *cons. 26. n. 3. Libr. 1.* quam secuta est Rota *decis. 344. n. 3. p. 2. recent.* & *coram Ludovis. pariter decis. 344. n. 13.*

idque ex communi Juris principio, quòd omnis fieri interpretatio debeat, ut testes ad concordiam reducantur, prout in terminis firmatum fuit

in *cit. decis. 344. p. 2.* & *decis. 90. n. 12. p. 8. item decis. 258. n. 7. p. 11. recent.*

Neque extensio hæc nimia videri debet respectu assertionis de annis 28. circiter à sorore assertis; quia cùm tempus aliquod cum particula *circiter* affirmatur; adhuc assertio vera esse creditur, licèt reipsa tempus, quo res revera contigit, sit quarta parte minus, aut majus,

ùt habetur per Rotam *decis. 95. n. 13. p. 16.*

p. 16. recent. & in Perusina Brevis. 16. Mart. 1685. §. verùm, coram Pauluccio; quarta enim pars dicitur modica. *Decis. 344. cit. n. 11. & 12. coram Ludovisio*, ubi quòd triennium respectu spatii quatuordecim annorum habeatur pro modico.

Porrò combinatione sic factâ, & posito, quòd sanatio Ignatii contigerit An. 1677. soror testis tunc habuit annos undecim, & hos excessit: consequenter idonea fuit, ut major effecta, de his, quæ in illa ætate vidit, posset deponere, & fidem mereri; quia testis, major effectus, idoneus est ad deponendum de his, quæ evenerunt tempore, quo fuit pubertati proximus. In eadem hypothesi, quòd sanatio contigerit 1677. frater sanati jam habebat annos sedecim: sicque & ipse testis fuit idoneus.

117. Ad 4. Non obest, quòd prædicta sanati soror non fuerit testis de visu quoad accessum fratris ad Capellam Beati, & gratiam in loco illo statim receptam; quia satis est, quòd domi eum viderit morbo adeò gravi laborantem, ut nec manũ movere posset, nec brachium, & hujus sequenti die facienda esset rescissio: item quòd in reditu ab Ecclesia eum viderit liberè moventem brachium, & manu antea læsâ scribentem, quod antea facere nullatenus poterat. Nam cùm sanatio ista tam brevi tempore, quod ab egressu ex domo usque ad reditum interea lapsum est, fieri nequiverit absque miraculo, & soror circa utrumque extremum deposuerit de visu, consideranda, & habenda est etiam quoad actus intermedios tanquam testis de visu.

Contilor. *de Canoniz. Sanct. c. 18. n. 13.* Franc. *var. c. 29. n. 60. & 61.* Auditores Rotæ *in Relatione Canonizationis S. Bonaventuræ, & S. Theresiæ.*

Similiter non obest, quòd testis 21. brachium infirmi nudatum non viderit; nam sufficit, quòd tanquam domesticus eum viderit ob infirmitatem emaciatum, & deferentem brachium suspensum ad pectus; item quòd conspexerit medicos accedentes ad curandum, & audiverit ipsos loquentes de morbo, ùt probatur ex ejus depositione: & sic haberi quoad primum extremum, scilicet morbi, pro teste de visu potest. Non minùs pro teste de visu haberi debet quoad extremum valetudinis receptæ; licèt enim affirmaverit, se audivisse dicentes, Ignatium cœpisse movere brachium, addidit tamen statim, quòd etiam viderit istud moventem, & exercitantem liberè, idque, quamdiu vixit, semper se observâsse.

118. Ad 5. Esto, morbus iste non fuerit absolutè incurabilis, saltem intra hoc tempus, quo brachii sanatio facta est, illúdque à supremo gradu pessimæ constitutionis transiit ad omnimodam sanitatem, naturaliter curari non potuit: quæ ratio est, quòd ipse medicus Sinibaldi judicaverit, instantaneam istam nervorum solutionem, ad invocationem B. Jacobi consecutam, dubium non relinquere de existentia miraculi, licèt non fuerit ausus pronuntiare, morbum hunc fuisse absolutè incurabilem. Quòd verò tumor aliquis ad dies quatuor, vel quinque remanserit, essentiæ miraculi derogare non potest, quippe ad quam salvandam sufficit, quòd statim sublata sit malitia morbi, adeò, ut sanatus in experimentum receptæ gratiæ illico, postquam domum rediit, potuerit manu sanata scribere, qui actus, quia complures contrarios motus continet, ab infirmo, contractóque brachio expleri non potest. Hinc auditores Rotæ in relatione Canonizationis S. Theresiæ *Miraculo ultimo post mortem*, ubi similiter ex apostemate sanato duravit tumor, & durities aliqua, licèt post paucos dies evanuerit, in præcisissimis terminis deciderunt, hoc non præjudicare miraculo. Neque etiam necesse fuit, tumorem residuum in casu præsenti etiam ipsum tolli per miraculum; nam, ùt sæpius allegatus Medicus Sinibaldi notat, facta per miraculum solutione nervorum, redit naturaliter, sed paulatim in ea parte sanguinis circulatio, & humores, inter spatia carnium remorati, à proximis vasis jam liberis ex naturæ lege reassumuntur, ut proinde necesse sit, ipsum tumorem brevi tempore evanescere. His utriusque partis argumentis bene perpensis

CENSEO. Quia inter testes nullus reperitur Peritus, & sic de genere morbi non satis constat, ipséque Doctor Sinibaldi putat, morbum ipsum à Chirurgo non fuisse bene tractatum, etsi fortè non fuerit omnino incurabilis, idcirco dubium fieri posse, utrum in hoc casu satis constet de miraculosa sanatione. Consequenter miraculum hoc, licèt fortasse verè tale sit, pro Canonizatione, ubi probatio omnino plena & indubitata requiritur, non videtur allegari posse. 119. Censura de hoc miraculo.

MIRACULUM VIII.

Instantaneæ sanationis ab inveterata Epilepsia Liborii Avelloni.

FUit hic Ignatii Avelloni, de quo modò dictum est, frater. Cùm esset circiter annorum quindecim juvenis, 1688. morbo Epileptico, seu universali totius corporis, convulsione laborare cœpit, ita, ut, testibus fratre, & sorore, qui sunt in Processu testis 20. & 36. vigesies ferè quolibet die caderet instar mortui, longóque tempore in eo statu perduraret abalienatus à sensibus. Erat quidem sub cura duorum insignium urbis Neapolitanæ Medicorum, qui opportuna aliàs morbo huic medicamenta 120.

menta adhibuerunt; sed cùm sine effectu cedere viderent omnia, tandem morbum judicârunt incurabilem, mortémque augurati sunt proximam, ac repentinam: ideóque curam deseruerunt, adjecto monito ad domesticos, ne juvenem solum relinquerent; fore etenim, ut ob ferociam morbi in aliquo deliquio subitò moreretur. Hinc deputatus fuit unus peculiaris custos, qui ei semper assisteret. Morbo isto laboravit Liborius per duos circiter annos, malo semper crescente.

121. Quadam vice Sacrista Capellæ B. Jacobi Placidum Liborii fratrem natu majorem inviserat, quod sæpius faciebat, quia Placidus assistebat Monasterio in lite quadam circa Legatum in Beati honorem relictum: atque hoc ipso tempore Liborium suo more corripuit malum: quod videns Sacrista cohorruit, & hortatus est fratrem Placidum, ut recurreret ad B. Jacobum, ipsúmque ægrotum die Martis proximè sequenti mitteret ad Ecclesiam S. Mariæ novæ; nam eâ die apertum iri urnam, in qua corpus Beati quiescit: factâ spe certâ, Beatum servitia, quæ Placidus in dicta lite absque stipendio accepto procuranda eidem exhibuisset, compensaturum, & fratri gratiam sanitatis impetraturum.

122. Quare dicta die Martis delatus fuit ad Capellam Beati, & constitutus ad ejus pedes, cùm caput suum aliquantùm super sacrum corpus posuisset, sacro primùm horrore correptus obriguit; sed statim reassumpsit vividum colorem, & alta voce exclamavit, *Beatus mihi gratiam fecit*: exindéque sanus, actis DEO, ac Beato gratiis, domum rediit, unde à duobus ductoribus associatus venerat. Supervixit quinque, vel sex annos, omnésque mirati sunt hanc repentinam sanationem, tanquam miraculosam, præcipuè dicti duo medici, qui ægroto adstiterant, morbúmque proclamaverunt incurabilem.

123. Rationes dubitandi.

Rationes dubitandi, quæ huic sanationi, ne pro miraculosa agnosci possit, opponuntur, sunt maximè sequentes. 1. Inter septem testes, ex quorum attestationibus miraculi hujus probatio desumitur, est unus duntaxat medicus testis 24. examinatus, cùm tamen plures adstiterint Liborio, & medicamenta eidem applicuerint spatio duorum annorum, ùt in sua jurata, & authentica attestatione asserit Januarius de Bisogno, Physicus principalis civitatis Neapolitanæ, & ipse testis 24tus. Neque obest, quòd idem Doctor Januarius jam fuerit mortuus ante institutum Processum; nam saltem produci debuisset ejusdem attestatio, & examinari alii medici ad curam vocati, cùm de obitu illorum non constet.

124. 2. Discrepant inter se testes. 1. circa tempus sanationis, cùm non conveniant, quo anno ista contigerit. 2. circa socios, qui Liborium comitati sunt ad Capellam; nam aliqui tantùm de uno meminerunt; Sacrista verò dicit, illum accessisse Capellam cum fratribus, & aliis cognatis, inclinatum super duos ductores. 3. circa tempus, quo Liborius supervixit post sanitatem adeptam; nam sextus testis dixit supervixisse per duos annos, alii testes deponunt de longiori tempore. Testium autem inter se collidentium fides non modicè labefactatur.

Rota *decis.* 261. *n.* 8. *p.* 18. *recent. tom.* 1.

3. Multò magis dubitari posse videtur de fide testis 6. 12. & 20. ajunt enim, audivisse se ex medico Januario de Bisogno, morbum Liborii fuisse insanabilem, cùm tamen in suprà dicta attestatione ab isto data solùm dicatur, quòd ille judicaverit, morbum fuisse difficillimæ curationis, & ideo se reliquisse ægrotum ductui propriæ naturæ, per quæ verba supponit, quòd saltem ope naturæ morbus superabilis fuerit: & quidem meritò; agebatur enim de infirmo 15. annorum juvene, & nuspiam legitur, quòd dictus medicus sanationem istam pro miraculosa habuerit. Ex quo 125.

4. sequitur irrelevantia hujus miraculi in ordine ad primum extremum substantiale: quod etiam inde colligitur; quia nunquam destiterunt à cura medici, quousque duravit infirmitas, cùm juxta dictam attestationem applicatio medicamentorum continuata fuerit per spatium duorum annorum, quamdiu scilicet duravit morbus, quibus proinde medicamentis sanatio attribui poterit, præsertim, quia 126.

5. constat ab exemplis, quòd morbus iste aliquando feliciter curatus fuerit, & indies curetur: cujusmodi curationes passim leguntur apud Quercetanum, Rulandum, Joannem Fabrum, Schenckium, Forestum, Zacutum, & alios quamplurimos, testatúrque medicus Sinibaldi in Peritum electus, se eundem morbum non semel curâsse. Præcipuè autem in pueris facilior est curatio 127.

juxta Hippocrat. *Aphor.* 7. *sect.* 5. ubi, *Epilepsiæ*, inquit, *quibus ante pubertatem fiunt, mutationem accipiunt; quibus autem vigesimo quinto anno fiunt, his magna ex parte commoriuntur.* Addit Vallesius in commentario: *Nec tamen hoc semper fit, sed magna ex parte; nam quædam epilepsiæ sunt, quæ in juventute accedentes, inclinante ætate, sedari possunt.* Hoc idem testatur

Riverius *prax. medic. c. de Epilepsi.* ubi, *Licèt autem*, inquit *post 25. annum incurabilis dicatur epilepsia ab Hippocrate, hoc tamen non est perpetua veritatis; multos enim ætate provectos ab hoc morbo liberatos fuisse, pluribus observationibus relatum est, quamvis tamen hoc rarò contingat:* Unde adeò epilepsia hujus juvenis potiùs incurata, quàm incurabilis videatur dicenda.

His

His tamen non obstantibus, admodum fortia adsunt argumenta pro miraculo.

128. Rationes pro miraculo. Nam 1. Morbus Liborii fuit epilepsia. Ita testis 6. Sacrista, testis 12. alter Sacrista, qui sæpiùs accessit domum Liborii, & omnia hæc sibi notissima habet, quæ in prædicta facti specie relata sunt: item testis 20. Placidus sanati frater, 21. domesticus, qui continuò assistebat ægroto, 22. alter istius frater, 24. medicus curæ, & 26. soror sanati. Fuitque epilepsia ista inveterata; nam per duos annos continuavit ex depositione testis 20. 21. 22. & 24. eáque adeò vehemens, ut primò quidem singulis diebus ter, vel quater ex depositione testis 6. & 12. postea autem, auctâ vi morbi, vigesies circiter paroxismos mali istius sit passus, prout testantur testis 20. 21. & 22. qui ultimus addit, necesse fuisse, ut ille à quatuor, vel quinque personis sustineretur: hinc toto corpore emaciatus fuit, ita, ut præter pellem, & ossa non haberet, ùt retulit testis 12. 22. & 26.

129. 2. Multa sunt applicata medicamenta à medicis civitatis Neapolitanæ, maximè à Doctore Januario de Bisogno, Physico principali civitatis Neapolitanæ, jam mortuo ante tempus instituti Processûs, & examinis testium in isto facti, item à Doctore Carolo Fenia; sed hæc medicamenta nihil profuerunt, ita, ut à medicis pronuntiaretur malum hoc incurabile, prout deposuit testis 6. qui domum Liborii sæpius frequentavit, & præsens fuit, dum eum aliquando invasit malum: cujus depositionem sua contestatione confirmant testis 12. 20. 21. 22. 24. & 26.

130. 3. Recursum ad beatum Jacobum suasit testis 6. Sacrista, qui etiam præsens fuit, dum Liborius venit ad Capellam ejusdem cum aliis de ejus domo, ubi unus ex famulis illius ipsum brachio arreptum, eidem Sacristæ obtulit, hic autem illum præsentavit ad pedes ejusdem Beati, cui se ille commendavit, caput intra urnam posuit, manus, & caput est osculatus, ùt præter dictum Sacristam deponunt testis 12. 20. 21. 22. & 26.

131. 4. Quando Liborius descendit ab altari, illico recepit colorem vividum, & interrogatus respondit, Beatum sibi fecisse gratiam, qui proinde, actis Beato gratiis, sine ductore, domum rediit, sanatus ex integro, cùm antea, quando ad Capellam accessit, acclinare se debuerit duobus hinc inde ductoribus; quia pedibus præ debilitate insistere non valebat. Ita cum duobus aliis testibus, nempe 21. & 22. testis 12. qui his omnibus præsens fuit, consequenter deponit de visu proprio. Fuitque sanatio ista omnino perfecta; nam ab illa hora, quamdiu vixit, non ampliùs passus est epilepsiam, prout testantur testis 6. 12. 20. 21. 22. 24. & 26. Vixit autem post obtentam sanitatem annos circiter quinque juxta depositionem testis 20. 21. 22. & 26. post quos ex alia infirmitate, nempe ex febri hectica mortuus est, ùt ajunt testis 6. 12. 21. & 22. Ex quo

132. 5. Patet relevantia istius miraculi; quia intercessio Beati continuò, & absque præcedente crisi id effecit, quod medici non potuerunt, imò jam desperaverunt, morbúmque totaliter extinxit cum perseverantia subsecutæ, ac perfectæ incolumitatis: ideóque sanatio hæc habenda censetur pro opere DEI miraculoso,

ùt docet S. Thom. *p.* 1. *q.* 105. *art.* 7. *&* 8. & de hujusmodi instantaneis sanationibus passim judicare soliti sunt Auditores Rotæ in causis Canonizationum, ùt observari potest in relatione S. Hiacynthi *tit. de Miracul. v. sed vobis*, S. Andreæ Corsini *p.* 2. §. 7. apud Lezan. *tom.* 4. *Consult.* 1. ubi, quòd impossibilis per vires naturæ sit instantanea sanatio, & tradit etiam Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 54. *n.* 7.

Et hinc sanationem istam pro miraculosa habuit 1. medicus curæ, qui est testis 24. & alii medici juxta depositionem testis 6. 20. 21. & 24. Imò 2. ùt deposuerunt testis 6. & 12. unus ex medicis Januarius de Bisogno de hoc publicum instrumentum fieri curavit manu Notarii. 3. eandem sanationem pro miraculosa habent testis 6. 12. 20. & 21. omnésque domestici, ùt præter modò relatos testes affirmat testis 26. neque contra hoc miraculum, ùt addit testis 21. quidquam contrarium auditum est.

133. 6. De veritate facti istius quidem ipse Liborius testari non poterat, utpote tempore examinis, quod habitum fuit Anno 1700. jam mortuus. De ipsa autem, ùt ex hactenus dictis patet, deponunt septem testes de visu, qui pariter testantur de invocatione Beati, de accessu ad ejus Capellam pro obtinenda gratia, de instantaneitate hujus obtentæ, déque sanitatis sic impetratæ constantissima imposterum perseverantia, quoadusque sanatus vixit: ut adeò ratione probationis nullum videatur moveri dubium posse. Videtur autem commodissima dari posse Responsio ad rationes dubitandi à num. 123. oppositas.

134. Respondetur ad rationes dubitandi. Ad 1.mum sufficere debet depositio medici formaliter examinati, & attestatio Januarii de Bisogno alterius celebris medici. Cæteri medici, cum quibus consultatio habita est, cùm à die, quo Liborius epilepsiâ corripi cœpit, usque ad diem examinis testium duodecim anni intercesserint, forsan & ipsi excesserunt è vivis. Et esto, quòd eo tempore inter vivos fuerint, non tamen propterea examen istud pro defectuoso habendum est, quòd ipsi examinati non fuerint; quia quemadmodum de jure non est necesse, ut omnes testes informati sub-

subjiciantur examini, ita opus non est, ut omnes Medici examinentur, quando aliunde haberi potest certa, & concludens probatio miraculi, prout habetur in casu præsenti per depositionem sex testium formaliter examinatorum. Medicus examinatus de omnibus Medicis deponit, quòd post adhibita frustra remedia tam ipse, quàm alii medici de curatione desperaverint, & hinc ægrotum tanquam deploratum destituerint, concluditque, quòd divulgatâ famâ de hoc miraculo, se in domum Liborii contulerit, & omnibus ritè recognitis, judicaverit, eam sanationem miraculosam esse; addit etiam, sic judicâsse medicum Januarium, & alios medicos, ex ratione, quòd Liborius non potuerit per viam naturæ sanari, & præcipuè tam subitò. Neque abludit attestatio Januarii; attestatur enim, se considerata qualitate, & gravitate morbi judicâsse, illum fuisse difficillimæ sanationis: Neque obest, quòd expressè non dixerit, eum fuisse incurabilem; nam id facto sufficienter declaravit, dum morbum reliquit dispositioni naturæ, & curam deseruit, quam Medici tunc solùm deserere consueverunt, quando ipsam pro desperata habent, ut eos facere jubet Hippocrates: & id fecerunt omnes reliqui medici.

134. Ad 2. Tria hæc, quæ hìc opponuntur, substantiam miraculi non tollunt. Nam 1. discrepantia testium circa tempus morbi, & sanationis tollitur ex dictione *circiter*, quâ testes in depositionibus suis usi sunt; nam particula hæc latitudinem usque ad quatuor annos ascendendo, vel descendendo patitur, ùt dictum est *num.* 116. Deinde discrepantia hæc non est in aliquo substantiali miraculi: consequenter non obesset, etsi per dictam interpretationem concordari non posset. Ad 2. Placidus sanati frater jussit unum ex famulitio comitari Liborium: quod non probat, sanationi non interfuisse alterum sanati fratrem Antonium, præsertim cùm hic ipsemet testetur, se supervenisse in eadem capella eo tempore, quo ægrotus ponebat caput suum super Corpus Beati. Quòd verò Socius sacristæ frater Laicus dixerit, etiam alios cognatos Liborium comitatos esse ad Capellam, si error est, veniâ dignus est, quippe qui ob diuturnitatem temporis ex oblivione facilè obrepere potuit. Accedit, quia error iste est in circumstantia, ad substantiam miraculi non pertinente, quippe quæ non consistit in numero personarum, quæ Liborium comitatæ sunt ad Ecclesiam, sed in probatione extremorum, ex quibus tale miraculum constituitur: cùm autem in horum extremorum probatione septem testes uniformiter conveniant, sufficienter illa, consequenter relevantia hujus miraculi probata videtur. Ad 3. Nihil facit, quòd testes varient circa tempus, quo Liborius post gratiam obtentam supervixit; quia pariter in his non consistit vis, & substantia miraculi: & satis est, quòd omnes concordent in hoc, quòd ipse, donec supervixit, nunquam ampliùs laboraverit eâ infirmitate, à qua per intercessionem B. Jacobi fuerat liberatus, de quo, ùt ipsemet Rmus fidei Promotor advertit, dubitari vix potest.

Ad 3. Dubia testium fides non potest effici, quòd deposuerint, morbum Liborii à medicis fuisse proclamatum incurabilem, cùm Januarius de Bisogno solùm dixerit, eum fuisse difficillimæ curationis; quia, ùt *num.* 133, dictum est, deserendo curam infirmi luculenter sententiam reliquorum confirmavit, cùm non soleant, nec debeant medici, quando adsunt facultates comparandi necessaria medicamenta, ùt in casu præsenti, deserere infirmum, quamdiu spes aliqua in arte eorum restat. 135.

Ad 4. Medicamenta quidem adhibita in hoc casu sunt; sed absque effectu optato. Et esto, morbus iste naturæ, vel medicamentorum ope sanari potuisset, adhuc tamen sanatio tribuenda esset miraculo; quia in instanti obtenta est, cùm natura pedetentim procedere in suis operibus soleat, gratia autem subitò, & instantaneè, ùt docet S. Thom. 1. 2. *q.* 113. *art.* 10. *& contra gentes q.* 105. *art.* 8. cum aliis relatis à Contilor. *de Canoniz. Sanct. c.* 17. *pag.* 172. *v. tertiò excedit.* 136.

Hinc

Ad 5. Satis est, quòd curatio non fuerit sperabilis in hoc morbo, cujus vis, & malignitas artem superavit, & efficaciam medicamentorum elusit. Miraculum in hoc casu agnovit etiam medicus Sinibaldi in Peritum electus: & rationem dat, quia morbi, chronici præsertim, curari nequeunt, nisi aut per crisin naturalem, ùt sæpe fit in morbis acutis, aut per vehemens pharmacum, humores noxios evacuans, quod & in acutis, & in chronicis non rarò contingit. In casu præsenti autem nulla penitus ante sanationem immediatè apparuit crisis, nullum vehemens pharmacum intercessit. Igitur non alia ex vi naturæ ad salutem remanebat via, quàm per coctionem, & fermenti Epileptici incinerationem. Hæ autem operationes non nisi in tempore, & per gradus fieri possunt. Gradus autem ejusmodi in sanatione Liborii observati non sunt. Igitur patere videtur, quòd ista viâ naturæ obtenta non sit. 137.

CENSEO, posse sanationem istam adscribi miraculo; nam 1. ùt ex *num.* 128. patet, morbus, quo Liborius laboravit, fuit Epilepsia inveterata, & vehemens. 2. Medicamenta adhibita nihil profuerunt, ut propterea medici judicantes, incurabilem, vel saltem difficillimæ curationis esse, deseruerint curam, ùt ostensum est *Num.* 129. 3. Si curari naturaliter potuisset, indi- 138. Judicium de hoc miraculo.

indiguisset curâ longiori, donec evacuaretur fermentum Epilepticum juxta *Num. prac.* 4. Talis gradatio per dicta *Num.* 130. in præsenti casu observata non est, sed eodem ipso momento, quo intercessio B. Jacobi est implorata, gratia sanitatis, ùt patet ex *Num.* 131. & quidem perfecta est consecuta: ut adeò 5. constet de utroque extremo, morbi scilicet ante sanationis instans in gradu supremo positi, & sanationis eodem instanti consecutæ, ùt dictum est *num.* 132. Et quidem 6. hæc omnia sunt ritè probata, prout constat ex *num.* 133. *& praced.* Insuper 7. ùt patet ex *num.* 134. *& seqq.* quæ huic miraculo opponuntur, congruenter solvuntur: adeò, ut ad declarationem, quòd hæc sanatio miraculosa sit, plus non videatur requiri posse.

MIRACULUM IX.

Sanationis instantaneæ Victoriæ Sannellæ ab ariditate, attractione, & stupiditate brachii sinistri, & manûs ob apopiexiam, sive veram, & perfectam Paralysim.

139. HÆc, cùm esset octodecim annorum puella, & in discursu, cum alia puella habito, aliquando audiisset de multis, & diversis miraculis, B. Jacobi intercessione à DEO factis, atque inter hæc, quòd, quando eidem Beato tolluntur vestes priores, novæque inducuntur, jussu sanctæ obedientiæ elevare soleat brachia, & pedes, ut faciliùs exspoliari, & rursus vestiri possit, incredula narrationem potiùs in risum accepit; nam irrisoriè sæpiùs iterare ausa est, *beate Jacobe, eleva brachia, eleva pedes:* quod per spatium unius mensis pluries fecit in diversis occasionibus, præcipuè verò, quando vidit religiosos ejusdem ordinis: nec absterreri se passa est ab aliis, qui repetitò illam proprerea objurgârunt. Sed gravissimas hujus infidelitatis, & ludibrii pœnas luit; nam, transacto ferè mense, dum actu sic jocabatur, derepente tacta est paralysi perfecta in manu & brachio sinistro, adeò forti, ut nec manum aperire, quippe quam contractura clauserat, nec brachium movere posset, sed istud omni motu, & sensu privatum adhæserit pectori.

140. Duo medici, quorum unus frater erat dictæ Victoriæ, alter affinis, pluribus medicamentis, præcipuè exsiccantibus, diu jam curârunt; sed frustra. Adhibitus etiam est tertius medicus; verùm nec istius medicamenta quidquam profuerunt, ita, ut cura fuerit omnino desperata, & morbus judicaretur incurabilis, quippe qui, ùt tertius hic medicus edixit, ex ea specie paralysiæ erat, ut si intra decendium non resolvatur, ampliùs vinci, & expugnari nequeat. Hunc in modum misera per sex menses, nempe à Novembri 1686. usque ad Junium 1687. stetit, quibus elapsis, à pluribus persuasa, ut fiduciam poneret in intercessione Beati, pœnitentiâ ducta ob repetitam toties irrisionem, proposuit confiteri incredulitatis suæ peccatum, & ad patrocinium ejusdem Beati recurrere: quod & fecit; nam per Confessionem ritè expiata, & sanctissimo Evcharistiæ Sacramento refecta, templum S. Francisci, quod in patria ejusdem visitur, adiit, ubi P. Guardianus illius brachio applicavit pileolum, ex vestibus, quæ sacrum Beati Corpus cooperuerant, confectum.

Ad applicationem hujus pileoli intremuit derepente brachium, quod priùs, ùt paulò antea dictum est, absque motu & sensu fuerat. Quamobrem Guardianus plenus spe, & fiducia ei suasit, ut iret Neapolim, & visitaret Capellam Beati, sperare se, ipsam recepturam integrè sanitatem pristinam, cujus præludia in memorato repentino motu jam persenserat. Obsecuta consilio huic est Victoria, & post octo dies Neapolim sese contulit, assumptisque fratre, & cognatis in dicta civitate existentibus, Capellam Beati accessit, ubi rogavit Sacristam, ut aperiret urnam ejusdem Beati; sed ista tum aperiri non potuit, quòd eo tempore continuò adhuc in ara, cui tumba imposita est, celebrarentur Missæ. Die ergo sequenti rediit Victoria cum fratre suo ad Capellam, & post peractam Confessionem, & S. Communionem, rursum petiit ab eodem Sacristano aperiri urnam; sed ob idem impedimentum Missarum id rursus fieri non potuit. Volebat autem Pater ille Franciscanus, apud quem Confessionem deposuit, experiri, an verè brachium Victoriæ esset attractum, quod proinde, licentiâ priùs ab ipsa, & fratre ponè assistente decenter petitâ, fortiter ad se attraxit; sed mansit immotum, & pectori, ùt antè, affixum. 141.

Rediit igitur illa post biduum cum eodem fratre suo, & postquam rursum confessa, & sacro Epulo refecta fuit, obtinuit tandem, ut removeretur cortina, quâ urna cooperiebatur: quo facto, ipsa ascendit ad altare, & urnam amplexa, magna cum fide, & devotione, inter lacrymas, intercessionem Beati implorare cœpit. Interim dum illa preces, & lacrymas fundebat, à quibusdam Monasterii Patribus cantatæ sunt Litaniæ. Cùm in his diceretur, *sancta Maria*, sensit illa per contractum brachium decurrere quendam humorem, instar glaciei frigidissimum. Terminatis verò Litaniis, vix intonato versiculo, *Beate Jacobe, ora pro ea*, rediit motus brachio & ipsa exclamavit *Gratia, Gratia*, ad cujus confirmationem videntibus circumstantibus, in eodem instanti libere movit hinc inde brachium sinistrum, ut experi- 142.

retur certitudinem, an gratiam perfectè obtinuerit. Interea ex brachio fluxit sudor uberrimus, ita, ut guttæ in terram caderent; de manu autem, quam antea semper clausam habebat, tunc verò liberè aperire potuit, efflavit magnus fœtor.

143. Quare, ut Beato sospitatori suo se gratam quamprimùm exhiberet Victoria, sine mora eadem manu, quam in hunc modum sanam recepit, detraxit è manu dextera annulum cum adamante, & ex auriculis annulos aureos, omnésque in signum gratitudinis in Beati ara deposuit. Fuit dein cantatus Hymnus Ambrosianus *Te DEum* cum pulsatione campanarum. Antequam autem è Capella sanata discederet, voluit ad æternam rei memoriam de hoc facto publicum erigi instrumentum. Hinc accersito Notario, & testibus, qui jam antea præsentes aderant miraculo, medio juramento exposuit totam rei seriem, narrationis scilicet de miraculis, & flexibilitate Corporis B. Jacobi sibi factæ, suæ incredulitatis, & irrisionis per unum mensem continuatæ, & pluries repetitæ, paralysis brachii in istius pœnam immissæ, & denique liberationis intercessione ejusdem Beati impetratæ &c. Quam narrationem etiam priùs fecit Confessario, postquam peccata sua apud eundem deposuit, cui palàm est contestata, contracturam hanc sibi venisse in pœnam irrisionis, quam fecerat de flexibilitate Corporis Beati.

144. Ab eo tempore semper remansit sanum prædictum brachium, & manus, absque ullo defectu, cum motu liberrimo, tanquam si nullum in iisdem sanata unquam habuisset malum. Omnes, qui notitiam habebant morbi, & postea brachium hoc restitutum viderunt, sanationem istam judicârunt fuisse insigne miraculum, B. Jacobi intercessione impetratum. Ipsa sanata in recognitionem tam luculenti beneficii per annum integrum gestavit habitum S. Francisci, & quamdiu Neapoli remansit, singulis hebdomadis visitavit Capellam Beati, sæpius ibi SS. Sacramentis se refecit, & singulis vicibus eleemosynam dedit pro celebratione unius Missæ, sícque devotionem erga eundem semper continuavit.

145. Rationes dubitandi. Miraculo huic sequentia opponi possunt. 1. Instrumentum publicum, quod juxta *num.* 143. super hac sanatione erectum est, non satis concordat cum depositione judiciali Victoriæ; nam in dicto instrumento dicitur, Victoriam fecisse irrisionem de his, quæ sibi enarraverat Anna Tardia circa annuam mutationem vestium fieri solitam in Corpore Beati, & flexibilitatem istius; additúrque, eam perdurâsse in hac irrisione per mensem, eóque expleto passam fuisse apoplexiam in brachio, & manu, deperdito motu, & sensu. Examinata autem dicta Victoria authoritate Apostolica, nihil meminit de irrisione prævia, antequam apoplexia in manu, & brachio corriperetur; sed ait post sex menses, à contracta apoplexia transactos, cùm soror ejus Lucretia suaderet ipsi, ut recurreret ad B. Jacobum, & recenseret, quòd ipse moveret brachium, dum novo habitu induitur, se non credidisse, sed potius derisisse verba sororis, ob quod ista scandalizata eam reprehenderit tanquam Hæreticam: quo posito, verum esse non potest, quòd derisio (ùt alii testes deponunt) fuerit causa contracturæ, & hæc fuerit divinitùs immissa in pœnam irrisionis, quippe quæ juxta hanc depositionem judicialem primùm, & quidem longo post tempore secuta est apoplexiam contractam.

2. Ipsa Victoria, ùt modò dictum est, in hac sua depositione dicit, enarrationem illam de flexibilitate brachiorum, & pedum ad vocem Obedientiæ à Monasterii Guardiano insinuatam, sibi factam esse à Lucretia sorore sua; in instrumento autem, ùt iterum patet ex *num. præc.* hoc dicitur de Anna Tardia; testis autem in Processu 29. id affirmat de quadam Elisabetha: consequenter iterum sunt testes contrarii sibi invicem, sícque fidem nullam merentur, 146.

per Rotam *decis.* 753. *n.* 14. *p.* 18. *recent.*

3. Præterea etiam depositiones testium non concordant in ætate Victoriæ; nam frater istius, qui est testis 28. dicit, eam tempore contractæ paralysiæ fuisse annorum viginti quinque; Victoria autem in sua depositione ait, se tum fuisse annorum octodecim; testis sextus, vigesimus septimus, & soror Victoriæ, quæ est testis 29. asserunt, eam habuisse circiter annos viginti. 147.

4. Testis 7. & 32. de auditu à fratre sanatæ dicunt, sanationem contigisse quinque circiter annis ante examen testium: fuit autem examen hoc institutum A. 1700. unde ex eorum depositionibus eruitur, eandem sanationem fuisse factam A. 1695. ubi iterum concluditur contradictio; nam cæteri testes ajunt, illam contigisse Anno 1683. & sic tredecim annis ante examen. Proinde non parùm labefactatur fides testium istorum etiam in cæteris articulis; testes enim in uno suspecti redditi, suspecti redduntur in omnibus. 148.

Bajard. *addit. ad Clar. q.* 53. *V. sed quæro.*

maximè si discordent in tempore; quia testes, falsum dicentes circa tempus, dicuntur falsum dicere in substantialibus.

Farin. *de testib. q.* 67. *n.* 140.

5. Alia rursum contradictio invenitur in depositionibus Victoriæ, ubi narrat, quòd, cùm intercessionem aliorum Sanctorum, præcipuè B. V. frustra implorâsset, tandem suasu sororis suæ Lucretiæ fiduciâ 149.

ciâ in B. Jacobum collocatâ, ad templum PP. Franciscanorum, in patria sua situm, accesserit, & à P. Guardiano brachium læsum cum pileolo ejusdem Beati tangi fecerit; nam aliquando dicit, quòd post istum attactum dictum brachium se moverit, & manus aperta fuerit, postea verò iterùm redierit ad statum contracturæ, & manus se rursum clauserit: alibi ait, quòd post applicationem pileoli manus inceperit tremere; non autem dicit, quòd brachium postea iterum ad pristinum statum redierit: iterum alibi ait, quòd post applicationem istam non fuerit secutus effectus.

150. 6. Sæpiùs dicta contractura brachii non fuit producta à causa naturali, sed supernaturali in pœnam temeritatis, quâ Victoria ridebat, & in jocum trahebat ea, quæ sibi narrabantur de Beato, ejus miraculis, & præcipuè flexibilitate Corporis. Igitur sanatio ejus non potest adscribi miraculo, licèt à causa supernaturali postea morbus iste rursum fuerit sublatus; connaturaliter enim à tali causa sublatus est, cùm juxta axioma non minùs à TT. quàm a Jctis receptum, per quas causas res nascitur, connaturaliter per eas etiam resolvatur.

151. 7. Liberatio hæc non fuit directa ad demonstrandam sanctitatem Beati; sed per seipsam cessare debuit contractura hæc, postquam Victoria in ultionem temeritatis suæ illam sensit, tanquam fine jam obtento. Igitur hæc liberatio non potest recipi in ratione veri, & propriè dicti miraculi, sicut non recipiuntur à S. Congregatione tanquam miracula liberationes obsessorum à dæmone. Imò

152. 8. Morbum hunc profectum fuisse ab insidente dæmone, suspicionem facit magnus ille, & pessimè olens sudor, qui e brachio Victoriæ effluxit tempore, quo illud solutum, & liberum remansit; hic enim fœtor, ùt passim exempla docent, est effectus designativus præcedentis insidentiæ spiritûs in ea parte, ex qua scaturivit. Denique

153. 9. si morbus iste fuisset contractus à causa naturali, naturaliter fortasse sanari potuisset ægrota ex prædicto emanato sudore, tanquam crisi; nam sudor ad sanandas paralyses, & convulsiones, ùt medici observant, plurimùm prodest, qui proinde inter modos has sanandi sudores numerant.

154. Rationes pro miraculo. Verùm his rationibus dubitandi nequaquam obstantibus argumenta pro hoc miraculo videntur luculenter evincere, illud à S. Congregatione approbationem mereri. Nam 1. morbus, quo laborabat Victoria, erat paralysis perfecta cum privatione sensûs, & motûs in brachio, & manu læsâ, imò complicata cum convulsione. De perdito sensu, & motu testatur ipsa sanata tanquam testis 17. & præter hanc testis 28. & 37. qui fuit medicus curæ, ac luculentum de hoc experimentum cepit Confessarius, apud quem Victoria Neapoli in Capella B. Jacobi confessionem deposuit; nam hic, ùt *num.* 141. dictum est, & cum ipso, tanquam teste 19. testatur ipsa sanata, & testis 28. experturus, an verè contractum esset brachium, tentavit illud fortiter à situ suo, quo illud pectori affixum erat, dimovere, nec tamen, etiam vi adhibitâ, potuit. Ex hoc ipso medicus Sinibaldi colligit, eandem paralysim etiam fuisse complicatam cum convulsione; hoc enim ipsum, quòd à situ, & loco, quem occuparat, brachium Victoriæ non fuerit amovibile, ùt ipse ait, verè demonstrat convulsionem, quippe quæ juxta unanimem medicorum consensum in eo consistit, quòd vis contrahendi unum, vel plures musculos pertinaciter superet vim contranitentem unius, vel plurium ex antagonistis musculis: unde membrum, in quo ipsa peragitur convulsio, eò adduci necesse est, quò major trahit contracti musculi, vel musculorum virtus, ibique immobilis figitur, & permanet, ùt in nostro casu contigit, in quo musculi, brachium ad pectus adducentes, vi suâ contractivâ superabant musculos, idem membrum à pectore abducentes. Eandem convulsionis existentiam etiam probavit frigus illud, quod ægrota sub initium morbi sensit; frigiditatem enim partium convulsoriam appellavit Hippocrates *in Coacis n.* 1. Ita Sinibaldus in sua relatione super hoc miraculo, cui consentit medicus Lansici, pariter in Peritum electus.

155. 2. Morbus iste, ùt putat medicus Lansici in sua relatione, non quidem fuit omnino incurabilis, cùm ægrota fuerit in flore juventutis, citra ullam cacochymiam, neque priùs tentata ullâ apoplexiâ, ut proinde locum habeat doctrina Celsi, qui *libr.* 3. *c.* 7. fatetur, paralysin particularem quidem ferè, non tamen protinus incurabilem esse, præsertim, si aliquando in affecta parte (ùt in Victoriæ brachio apparuisse dicitur) observetur tremor, quippe qui, ùt præ cæteris probat

Sennert. *Prax. medic. l.* 1. *p.* 2. *c.* 27. *§. Prognostica. n.* 6.

si paralysi superveniat, bonus est: interim tamen necessariò cum eodem medico Lansicio, & Sinibaldo fatendum est, eam fuisse gravissimam, & difficillimæ curationis: quod prior ex relatis DD. medicis desumit 1. ex diuturnitate temporis; quia duravit ad sex menses. tales autem paralyses appellantur chronicæ, & interdum incurabiles evadunt. 2. ex parte per hanc paralysin affecta; invasit enim Victoriæ brachium. paralysis autem brachii curatu longè difficilior, & contumacior esse solet, quàm paralysis crurum, ùt quotidianâ experientiâ doctus testatur

Lazarus Riverius *libr.* 1. *prax. c.* 5. *pag.* 158.

3. ex complicatione cum convulsione; compositus enim affectus difficiliùs vincitur, quàm simplex. Et hinc

Bartolin *in paraphrasi ad 2dum paralyticum à Christo Domino sanatum pag.* 32. *Augetur*, inquit, *periculum vix evitandum, cùm juncta unum affligant, quæ singula solent jugulare singulos.* 4. ex inutilitate medicamentorum per longum tempus adhibitorum; nam duo medici, frater sanatæ, ejúsque cognatus applicârunt plura remedia, sed frustrà: hinc vocatus tertius medicus de Salerno, dictus Matthæus, qui simul cum prioribus duobus medicis plura medicamenta tam interna, quàm externa præscripsit, & his usa fuit infirma, nec tamen toto sex mensium spatio ullum ex his sublevamen experta est, ut propterea iidem medici curationem pro desperata habuerint, quod præter sanatam tres alii testes, nempe 28. 29. & 37. affirmant. Et hinc allegati duo medici, Sinibaldus, & Lansicius hoc faciunt dilema, in utramque partem pro miraculo serviens: Vel enim morbus iste à medicis curæ fuit rectè cognitus, & curatus; & tunc tot remediis reluctans vel impossibilitatem, vel difficultatem maximam curationis monstrabat, ùt ex communi practicorum sententia censet

Manget. *Biblioth. medic. tit. paralysis. pag.* 708. *n.* 6.

Vel contrà fuit malè cognitus, & curatus; & hæc ipsa medicamenta eundem contumaciorem, & magis incurabilem reddiderunt. Quidquid sit, an absolutè incurabilis, an solùm difficillimæ curationis morbus hic fuerit, hoc certum est, eum citò, & momento temporis naturæ vi solvi non potuisse, ùt ex principiis medicis probat sæpe allegatus Lansicius, idque præcipuè tam ex ipsa natura morbi, quia erat paralysis convulsiva, orta à causa fixa, intercepta, atque incuneata inter musculos brachii affecti, quæ, ut dissolveretur, opus erat, ut liquaretur materia illa, & liquata per sudoris maximè vias ad motum urgeretur, quod naturaliter in instanti fieri non potest; tum etiam ex quotidiana experientia, ex qua habetur, quòd hujusmodi ægroti, utcunque opportunis, & efficacibus remediis curentur, nunquam tamen derepentè à statu morbi transeant ad statum perfectæ valetudinis.

156. 3. Cùm ergo omni spe in medicamentis depositâ, agnoscens, hunc suum morbum à DEO sibi in pœnam temeritatis, quâ risit, & joco traduxit flexibilitatem Corporis B. Jacobi fuisse immissum, in se reversa, statuit veniam petere hujus sui peccati toties repetiti. Initio quidem recurrit ad diversa loca imaginum miraculosarum, ùt refertur in instrumento publico super hac specie facti erecto, ibique se commendavit intercessioni diversorum Sanctorum, præcipuè B. Virginis; sed quia nihil inde percepit subsidii, & brachium nihilominus in statu antiquo permansit, persuasa à sorore Lucretia, in comitatu aliorum suorum cognatorum, & vicinorum, se contulit in templum PP. Franciscanorum, quod isti habent in patria ejus, ubi P. Guardiano recensuit totum factum, & causam morbi, à Deo sibi immissi, seque B. Jacobi patrocinio commendavit, cujus etiam pileolo, ex veste ejusdem Beati confecto, Guardianus brachium illius tetigit. Sæpius recursum ad templum istud illa fecit, & repetitò cum diversis orationibus contractum ejus brachium dictô pileolô contactum est. Una vice tremere aliquantùm, moverique ad ejusdem pileoli attactum cœperat læsum brachium, manúsque se aperire, ùt recensetur in suprà dicto instrumento, & deponunt testis 28. 29. & 37. cum admiratione omnium circumstantium, præcipuè ipsius P. Guardiani, qui pro bono omine istud capiens, Victoriæ suasit, ut iret Neapolim ad corpus Beati, ibique post Confessionem, & Communionem peractam, veniam deprecaretur à Beato, ejúsque patrocinium imploraret. Obsecuta consilio Victoria, cum fratre suo Cajetano Sannelli Neapolim viâ maritimâ tetendit, ibique appulit 18. Junii 1687. ubi ad Capellam Beati, ejúsque tumbam ter accessit, nempe statim post suum adventum, dein 23. & ultimò 25. dicti mensis, ubi semper ingenti cum fervore, ac fiduciâ, bis etiam confessa, & communicata, intercessionem ejusdem imploravit, præsertim ultimâ vice, quando gratiam obtinuit, ut remotâ cortinâ, quâ tumba Beati contegitur, ipsum sacrum Corpus, in ea tumba positum, videre eidem permissum fuit. Ita memoratum instrumentum, & testes judicialiter examinati, præcipuè testis 19. qui confessionem ipsius excepit, testis 28. frater ejusdem, & testis 14. Sacrista, qui eam vidit bis adeuntem Capellam Beati, séque illius patrocinio commendantem: ut adeò de veritate invocationis nullum esse dubium possit.

4. Æquè parum dubitari potest de instantaneitate sanationis post invocationem ultimam consecutæ; nam cùm illa in oratione ad Beatum cum lacrymis perseveraret, ad finem Litaniarum, quas interea Patres decantabant, intonato versu: *Beate Jacobe, ora pro ea*, præsentibus iisdem Patribus, multisque aliis personis, qui desiderio videndi eventum rei concurrebant, immediatè gratia sanitatis obtenta est, motúsque liberrimus brachio læso rediit, quod proinde ad experiendam certitudinem receptæ gratiæ Victoria hinc inde libere, & absque omni impedimento movit, ùt præter sanatam deponunt testis 18. 19. 28. 29. ipsúmque refert instrumentum publicum, 157.

ubi

ubi testes inscripti testantur, se vidisse priùs brachium contractum, & ineptum ad omnem motum, postea sanum, & absque ulla læsione, ùt priùs ante morbum extiterat. Fuitque sanatio hæc omnino perfecta; nam ab eo tempore brachium hoc & manus semper remansit sanum, absque ullo defectu, cum motu liberrimo, tanquam si sanata nullum in iis unquam habuisset malum. Ex quo

158. 5. Patet relevantia hujus miraculi; resultat enim hæc non solùm ex qualitate morbi de sui natura curatu difficilis, qui cùm oriatur à materia fixa obstruente nervos, quæ quotidie magis ob defectum humoris, & spirituum, quibus per eam transitus impeditur, coagulatur, imò lapidescit, post decem dies redditur omnino incurabilis, ùt probat

Pignat. *tom.* 2. *consult.* 177. *n.* 21. & 22.

verùm etiam ex circumstantiis temporis, quo salus obtenta fuit, scilicet in instanti, quo implorabatur patrocinium Beati, quod profectò viribus naturæ non potuit effici: adeóque miraculo necessariò adscribi debet, cui defacto sanationem hanc attribuerunt præter sanatam testis 6. 18. 19. 28. & 37. ex ratione, quia sanatio hæc in instanti, & eo ipso tempore obtenta fuit, quo infirma B. Jacobo se commendavit. Ejusdem sententiæ fuerunt juxta plerosque prædictos testes omnes alii domestici, & præsentes rei gestæ, aut aliter de hac informati: item, & specialiter medicus tertius, qui pariter est testis tertius; hic namque perpensâ naturâ morbi, ejúsque diuturnitate, & inutilitate medicamentorum secundùm artis regulas applicatorum, necnon sanitate in continenti recuperatâ, eam declaravit omnino miraculosam, & supra vires naturæ: in quo etiam consentiunt medicus Sinibaldi, & medicus Lansici, in Peritos electi. Medicis autem fides est adhibenda, cùm judicium proferant juxta principia suæ scientiæ, quam profitentur.

Lezan. *tom.* 4. *cons.* 1. *n.* 200. Contilor. *de Canoniz. Sanct. c.* 18. *n.* 12.

ubi quòd medicorum judicio in miraculorum relationibus semper fuerit adhibita fides. Denique

159. 6. Omnium ad miraculi declarationem requisitorum adest probatio legitima; nam quamvis aliàs ad hoc probandum sufficiant duo testes

c. in omni c. licèt de testib. Gabr. *de testib. concl.* 2. Contilor. *c.* 18. *cit. n.* 3. Matth. *de Canoniz. Sanct. p.* 4. *c.* 17. *n.* 2. Frances *var. c.* 29. *n.* 60. Pignat. *tom.* 10. *consult.* 182. *n.* 21.

pro præsenti tamen miraculo, præter instrumentum publicum super eo erectum, producuntur testes examinati tres de visu tam quoad morbum, quàm etiam quoad recuperatam sanitatem in eo instanti, quo implorabatur patrocinium Beati, nempe 18. 19. & 28. quibus addi possunt nonnulli alii, hactenus allegati partim de visu, & partim de auditu, & inter hos præcipuè testis 14. Religiosus S. Francisci, & Sacrista simul Capellæ Beati, qui vidit Victoriam cum prædicta læsione in brachio, & manu, tentavítque illud movere, nec poterat, item vidit bis adeuntem Capellam ejusdem Beati, séque illius patrocinio commendantem. Neque obest, licèt quoad subsecutum miraculum tantùm sit testis de auditu, quippe qui tunc per sonitum campanæ ad orationem mentalem vocatus, discessit, & rediit solùm post miraculum factum; nam, cùm per vires naturæ tam brevi tempore sanatio fieri nequiverit, sufficit, quòd finitâ illâ oratione, rediens viderit liberè moventem manum, ac brachium, plenéque sanatam: proinde etiam ipse recipiendus est, acsi in omnibus esset testis de visu,

ùt docet Contilor. *c.* 18. *cit. n.* 13. & tenuerunt Auditores Rotæ in relatione Canonizationis S. Bonaventuræ *p.* 2. *art.* 4. *in fin.* & S. Theresiæ *Miracul.* 6. *post mortem, v. de quo deponunt,*

in qua ultima relatione casus prorsus similis huic nostro de manu contracta recensetur, & pro teste de visu admittitur, qui paulò antea, nempe ante duas horas, vidit contractam, postea sanatam, ex ratione, quòd tam brevi tempore infirmitas adeò gravis, & quæ per annum duraverat, naturalibus remediis curari non potuit. Et ita pluribus adductis testatur

Frances *var. c.* 29. *n.* 60. & 61.

Neque obstant, quæ suprà opponebantur. 160.

Ad 1. Non obest, quòd Victoria post tredecim annos ab erecto instrumento publico lapsos examinata, de irrisione, morbum antecedente, mentionem non fecerit; nam hoc fecit, vel quia de hoc tum interrogata non est, vel quia hoc dicere in judicio ex verecundia timuit, prout etiam illam reticuit fratri suo Cajetano, ùt ipse deposuit: per hoc tamen non negavit, aut revocavit, quod primùm Confessario, deinde, cùm erigebatur instrumentum publicum, coram Notario, & testibus fassa est, ùt considerantibus tenorem depositionis judicialis ab ipsa factæ, & hanc cum instrumento prædicto componentibus clarè apparebit. Manet igitur adhuc verum, quod de irrisione antecedenter facta, & hanc subsecuta paralysi idem instrumentum refert, quippe de qua præterea constat ex depositione fratris, sororis, & medici, qui sunt testes 28. 29. & 37. Quòd verò cùm admoneretur à sorore Lucretia, ut pro medela paralysis, quam per sex menses jam passa erat, recurreret ad intercessionem B. Jacobi, in jocum traxerit sororis verba, non probat contradictionem; cùm enim ex communi re-

Respondetur ad rationes oppositas.

regula discrepantia testium, omni modo, etiam impropriando verba illorum, in concordiam redigi debeat, & aliunde constet, victoriam in diversis occasionibus coram diversis longo tempore irrisionem istam continuâsse, dicendum est, ob irrisionem, quam fecerat ad relationem Annæ Tardiæ, & coram aliis frequentavit, illam percussam à DEO paralysi, & hac contractâ, non statim agnovisse errorem suum, sed eandem irrisionem repetiisse ad cohortationem Lucretiæ, donec meliora edocta, facti pœnitens, à Beato veniam est deprecata. Ex quo patet

161. Ad 2. Discrepantia in hoc argumento proposita, facilè combinari potest, si distinguatur inter tempora, & ùt modò dictum est, asseratur, Annam Tardiam de flexibilitate sacri Corporis narravisse Victoriæ, antequam ista morbum paralysiæ contraxit in brachio; Lucretiam verò, postquàm soror Victoriæ sex mensium spatio eodem morbo jam laboravit, illam monuisse, ut ad B. Jacobum recurreret; utroque autem casu narrationem hanc in derisum accepisse: & sic ambæ prædictæ irrisiones in suo casu separato, & distincto verificantur. Quod additur de narratione ejusdem flexibilitatis facta à muliere quadam Elisabetha, etiam ipsum sibi constare potest, cùm irrisionem diversis vicibus coram diversis personis repetierit. Si coram dicta Elisabetha irrisionem istam revera non repetiit, error iste vitio verti testi in hoc argumento allegatæ non debet, quippe quæ ob intervallum lapsi interea temporis tredecim annorum, post quos primùm est institutum examen, obliviscì nominis potuit, sicut oblita est cognominis. Denique esto, sit aliqua inter testes quoad hoc discordia, illa tantùm est in aliquo accidenti, in substantialibus autem omnes conveniunt.

162. Ad 3. Non obest, quòd in præcisa ætate Victoriæ asserenda testes non concordent, nam omnes deponunt sub voce *circa, circiter*, quæ, ùt dictum est *num. 116. ad Mirac.* 7. includit quartam partem temporis, ascendendo, & descendendo: & sic dicta testiũ salvantur à quacunque contradictione.

163. Ad 4. Æquè parum obest contradictio testium circa tempus sanationis; nam imprimis etiam ipsi loquuntur cum prædicta dictione *circa, circiter* de perseverantia temporis indeterminati. Deinde hæc diversitas respicit tantùm accidentalia, nec alterat substantiam facti, quod uniformiter, & concludentissimè ab omnibus probatum remanet. Doctrina Bajardi intelligenda est de casu, in quo discrepantia testium circa tempus substantiam facti mutat.

164. Ad 5. Dum Victoria locuta est de tremore brachii, quem post attactum Pileoli in patria factum sensit, non exclusit momentaneum illum motum brachii, quem alibi asseruit, quippe qui erat necessarius effectus tremoris, & propterea tanquam inseparabilis ab eo actu, subintelligi debet. Deinde non erat necesse, ut referret omnes minutias, quæ ei evenerunt in patria; quia in his non consistebat vis, & relevantia miraculi pòst secuti, dum Neapolim profecta, ad tumbam Beati sese stitit: & in hoc sensu verum est, quòd ad impositionem prædictam pileoli non sit secutus effectus aliquis; nam hoc intelligendum est de sanatione à paralysi, quæ erat objectum illius applicationis, & recursûs ad Beatum: unde cùm hæc non tum, sed Neapoli primùm secuta sit, meritò fuit dictum, quòd non sit secutus effectus.

165. Ad 6. Si non est miraculum respectu hujusmodi potentiæ supernaturalis, quippe cui prodigiosè operari connaturale est, miraculum tamen erit sanatio præsens respectu passi, nempe Victoriæ, quæ ob suam temeritatem castigata est à potentia supernaturali medio naturali, & deinde ab infirmitate, per eam in pœnam inflictâ, absque ullo naturali medio consanata, atque ita vinculum, quod à potentia supernaturali factum est, iterum ab eadem supernaturaliter solutum est. Exempla hujusmodi habemus plura; sic enim pro miraculo agnovit Ecclesia, quando filius præfecti urbis Iupanar ad violandum S. Agnetem ingressus, statim percussus morte, postea ad preces ejusdem Sanctæ ad duplicem vitam est restitutus. Item quando Hæreticus cum aliis sociis ad illudendum, & irridendum miracula, quæ ad S. Antonii Patavini intercessionem fieri audierat, ad ejus sepulcrum accessit, velatis oculis cæcum se fingens, verè in pœnam visum perdidit, postea verò peccatum suum publicè fassus, eundem recuperavit, restitutis in pristinum locum oculis, qui vittæ, quâ eosdem obligabat, ita puniente temeritatem DEO, adhæserant.

166. Ad 7. Utrumque directum est ad demonstrandam sanctitatem Beati, morbus quidem immissus juxta illud, *nolite tangere Christos meos.* Ps. 104. sanatio autem, utpote ad invocationem ipsius impetrata. Inter liberationes obsessorum à dœmone distinguendum est, an obtentæ sint vi Exorcismorum institutorum ab Ecclesia, an verò sine istis ad jussionem alicujus servi DEI, vel invocationem sancti, aut contactum ejusdem reliquiæ. Si liberatio procedat ab Exorcismis Ecclesiæ, ad miraculum illa non pertinet; licèt enim virtute supernaturali tunc dœmones expellantur, tamen quia modus iste in Ecclesia consuetus est, ideo ista miraculum in hac re non agnoscit. Contrà verò inter miracula refertur ab Ecclesia liberatio ab obsidente dœmone, quæ sine consuetis exorcismis obtinetur ad jussionem alicujus servi DEI, vel ad invocationem, aut applicatio-

tionem reliquiarum illius, prout patet ex *Constit. un.* Joannis XV. Canonizationis S. Udalrici, ubi inter ejus miracula recenſetur, quòd dœmones ab inſeſſis fugaverit; item ex Conſt. *quia pietas* 2. Innocentii III. Canonizationis S. Homoboni, ubi tanquam miraculum, & in ſpecie ſolùm illud refertur, quòd ad ejus ſepulchrum quædam dœmoniaca liberata ſit: ſimiliter ex *Conſt.* 5. Bonifacii IX. Canonizationis S. Birgittæ ubi inter miracula poſt ejus mortem narratur, quòd ejus invocatione mulier à malo ſpiritu curata ſit.

Videatur Matthæuce. *Pract. Canoniz. & Beatif. tit.* 3. *c.* 3. *in addit. n.* 1. *& ſeqq.*

Certè quòd ſanatio paralyſis in hoc caſu pro miraculoſa ab omnibus de re informatis habita fuerit, patet ex *num.* 158. Et in conteſtationem prodigioſæ iſtius ſanationis, ad ejus famam accurrerunt magno numero Patres Conventûs, atque inter compulſationem Campanarum decantârunt Hymnum *Te DEum laudamus*, ipſa verò ſanata annulos ex digito, & auriculis detractos, in gratiarum actionem ſuper altare beati reliquit, in inſtrumento publico, à Notarii manu confecto, totam rei ſeriem conſcribi fecit, Habitum S. Franciſci per annum geſtavit, totóque illo tempore ſæpiſſimè in ejus capella ſoſpitatori ſuo gratias egit, Miſſæ Sacrificia in ejus honorem, dato ſtipendio, fieri curavit &c. prout refertur in inſtrumento, & præter ſanatam affirmat teſtis 18. 19. & alii hactenus relati.

167. Ad 8. Ex eo, quòd in actu ſanationis obtentæ fœtidus humor ex brachio Victoriæ emanaverit, non bene infertur, morbum illius provenisse ex invaſione dœmonis; nam judicio medici curæ fuit vera, & perfecta paralyſis, & pro tali curata, neque ullum unquam ſe indicium prætenſæ dœmoniacæ invaſionis prodidit vel in principio morbi, vel in progreſſu, aut fine illius. Confirmat hujus ſententiam medicus Sinibaldi in Peritum electus, qui originem fœtidi iſtius humoris trahit ex ſalibus nitro-ſulphureis, & armoniacalibus, qui brachium occupabant, & morbum iſtum creabant: ut proinde ad ſpiritum malignum confugere non ſit neceſſe, præſertim ſi hujusmodi morbum patiantur fœminæ, apud quas dœmonis loco nonnunquam eſt uterus; nam hic, dum ſua maligna fermenta communicat ſanguini, & viſceribus, non rarò illas ita exercet, ut energumenæ à vulgo credentur eſſe.

168. Ad 9. Licèt medici inter modos ſanandi convulſiones, & paralyſes ſudores numerent, nihilominus iſti in via naturæ non proficiunt, niſi paulatim ſuboriantur,

ut docet Hippocrat. *in Coacis Prænotionibus ſect.* 2. *n.* 270.

ſudores verò, qui confeſtim, & unica duntaxat vice profluunt, contumaciſſimum hoc malum ſuperare nequeunt: & ratio eſt, quia materia, chronicas paralyſes, & convulſiones producens, eſt altè in muſculis incuneata, ac propterea unico ictu ſolvi tota, & excludi non poteſt, cùm viæ ſint anguſtiſſimæ, & profundæ, à quibus humor illis inhærens difficulter avellitur, ut propterea ſudor prodeſſe nequeat, niſi per integras hebdomadas continuetur, ùt

ex Sennert. *prax. med. l.* 1. *p.* 2. *c.* 27. §. *ſudorifera*

notat Lanſicius, qui proinde concludit, Victoriæ ſanationem multis concurrentibus naturalibus cauſis deberi; nam præter dictum ſudorem juvit 1. ſolſtitium æſtivum, in quo illa contigit. 2. Mutatio aëris, quæ in morbis chronicis, & longis eſt efficax medicina. 3. Navigatio, & ipſa objectorum in magna civitate Neapolitana variatio, præſertim verò, ſpes firma ſanitatis per interceſſionem B. Jacobi obtinendæ; hæc enim omnia ſpiritibus animalibus, fibrisque totius cerebri talem vim imprimere valuerunt, ut materiam concretam in brachii canaliculis, & fibris liquarent, & per viam ſudoris ad exitum diſponerent: addit tamen idem Lanſicius, hæc omnia, quamvis validiſſima eſſe fingantur, ſola tamen in inſtanti, & adeò celeriter, prout in facto contigit, ſanationem integram, perfectámque moliri non potuiſſe, niſi DEus ſpeciali ſuæ omnipotentiæ concurſu illas virtutes ita diſpoſuiſſet, & in ágendo adauxiſſet, ut effectus ſanationis, qui naturaliter non niſi multorum dierum ſpatio, ac ſenſim per gradus ſe manifeſtans exſpectari poterat, momento temporis apparuerit. Sudor igitur, licèt ad ſanitatem in hoc caſu conduxerit, miraculum tamen non deſtruet; non enim miracula omnia, ùt bene obſervat

Paul. Zacch. *conſ. medic. Leg.* 4. *n.* 1. tranſcendunt naturæ potentiā, cùm aliqua tantùm tranſcendant eam ſecundùm quid, nimirum non quantum ad id, quod fit, ſed quantum ad id, in quo fit, h. e. quoad modum & ordinem

juxta doctrinam S. Thom. 1. *p. q.* 105. *art. ult.*

In noſtro caſu miraculum fuit ex poſteriori genere, nimirum in quo naturæ potentia ſuperata eſt non quoad id, quod factum eſt (fieri enim à natura cum tempore poterat) ſed quoad modum, & ſpatium temporis, quatenus ſcilicet cauſarum naturalium vis ſupernaturali DEI concurſu eò usque eſt aucta, ut illico plenus, & absque ulla recidiva perfectus ſanationis effectus ſecutus fuerit, qui aliàs per easdem cauſas naturales ſine hoc extraordinario DEI concurſu non niſi paulatim produci poterat. Ex his utrinque propoſitis

169. Censura de hoc miraculo.

CENSEO, prædictis rationibus dubitandi non obstantibus, sanationem istam inter miracula tertii generis meritò admitti posse. Nam 1. morbus Victoriæ fuit paralysis perfecta, juncta cum privatione sensus, & motûs, & complicata cum convulsione, ùt ostensum est *num.* 154. consequenter 2. si non omnino incurabilis, saltem difficillimæ curationis extitit, ùt probatum est *num.* 155. 3. Juxta *Num.* 156. constat de invocatione B. Jacobi pro sanatione à Victoria implorati. 4. Eodem ipso instanti juxta *num.* 157. sanatio perfecta obtenta est, quo ipsa preces cum lacrymis fundente, à Patribus Conventûs intonatus est versus, *Beate Jacobe, ora pro ea*: adeoque 5. ùt patet ex *num.* 158. constat de relevantia hujus miraculi. Insuper juxta demonstrata *num.* 159. omnium ad miraculi declarationem requisitorum adest probatio legitima. Et 6. miraculum assertum non tollit supervenientia sudoris in ipso actu sanationis, quippe qui juxta *num.* 168. perfectam sanationem operari non poterat, nisi vis ejus per supernaturalem, & extraordinarium DEI concursum fuisset adjuta. Denique 7. alia, quæ contra hoc miraculum objecta sunt, ùt constat ex dictis *à num.* 160. illud non subruunt.

MIRACULUM X.

Instantaneæ sanationis Luciæ Tramæ ab attractione brachii dexteri, ac manûs ob apoplexiam, sive perfectam paralysim.

170. HÆc cùm esset annorum viginti circiter, tacta fuit apoplexiâ, seu perfectâ paralysi in brachio, & manu dextera, ita, ut partes istæ statim remanserint attractæ, & absque ullo sensu & motu: manus insuper fecit quoddam coagulum, seu tartarum externum, tanquam lutum exsiccatum, propter quod nunquam aperiri, aut lavari potuit. Infirmitas ista duravit spatio sex annorum; applicata sunt complura remedia; sed nulla inde utilitas, aut levamen secutum est. Tandem, desperatis omnibus humanis auxiliis, ad enarrationem proximè recensiti miraculi noni animata, die 14. Jul. 1692. recurrit ad intercessionem B. Jacobi, & cùm ejus capellam accessisset, petiit, ut posset læsum brachium applicare sacro Corpori. Quia verò capella tunc plurimorum concursu occupata erat, & claves fortasse non aderant, quibus arca aperiretur, sacrista, supplicantem solaturus, eam in sacristiam abduxit, ejus brachium circumligavit funiculo, quo Beatus in vita se cinxerat, manúmque attractam immisit in pileolum illius, & cœpit dicere in ejus honorem solitam antiphonam.

171. Post dictam Antiphonam in instanti virtutem intercessionis Beati sensit; nam illico, & in continenti brachium elevavit, & manum aperuit, Patrémque amplexa, alta voce exclamavit *Gratia, Gratia.* Ad has voces accurrit frater sanatæ, qui ipsam ad Capellam euntem est comitatus. Huic illa gaudio abundans, ostendit brachium, & manum, horúmque motu monstravit se esse sanatam: idipsum viderunt multi alii; nam sacristia, ubi hoc factum est, plena erat sacerdotibus, religiosis, & laicis, qui omnes profusis præ teneritudine lacrymis, DEUM in beato Jacobo laudabant. Producta dein fuit à P. Sacrista ad altare Beati, ibíque, inter compulsationem campanarum, pro gratiarum actione cantatus Hymnus *Te DEum.* Ab omnibus præsentibus sanatio hæc fuit habita pro miraculosa; quia instantanea, & perfecta; eandem pro miraculosa habuit, & habet ipse sacrista, fuitque super hoc factum instrumentum publicum.

172. Postquam Lucia domum rediit, eâdem die, quâ sanata est, usa est manu priùs læsa ad subigendam farinam pro pane coquendo; nullum enim prorsus vestigium veteris infirmitatis permansit: & hoc statu deinceps continuavit semper sana, ùt ex litteris ex patria Luciæ scriptis, alíisque personis, qui eam viderunt, intellexit Pater sacrista testis 12. Ut verò erga tantum intercessorem se gratam ostenderet, per 40. dies continuos visitavit Beati Capellam, pro cujus lampade etiam misit eleemosynam ad oleum inde emendum.

173. Rationes dubitandi.

Quæ opponi contra hoc miraculum possunt, præcipuè arguunt defectum plenæ probationis. Nam 1. de statu morbi non fuerunt examinati medici, non frater Luciæ informatus, & præsens miraculosæ sanationi, non denique marchionissa de Pisciotta, penes quam socius sacristæ, qui testis est 12. ait, sanatam per 40. dies fuisse commoratam. Et quod pejus est, 2. testes duo de visu, nempe 6. & 12. qui sunt duo sacristæ Capellæ, nihil concludunt super hoc primo extremo morbi; nam ex lectura depositionum, ab ipsis factarum, apparet, quòd nihil deponant de propria scientia circa suppositâ attractione brachii dexteri dictæ Luciæ, solúmq; dicunt, se eam vidisse eodem mane, quo accessit ad Capellam Beati, ac sub quo asseritur, eam fuisse sanatam. Et denique 3. circa secundum extremum uterque testis se refert ad instrumentum publicum, eadem die, quo Lucia sanata dicitur, confectum super asserta instantanea sanatione; consequenter depositio eorum est relativa, & sine relato nihil probat: unde necesse erit produci instrumentum, vel saltem copiam authenticam illius, quæ quidem dicitur missa fuisse Romam, sed ex Actis non apparet, quòd hactenus fuerit producta.

Pro

174. Argumenta pro miraculo.

Pro hoc miraculo Postulatores producunt sequentia argumenta. Primò seriem, ac substantiam hujus facti, & recursum ad B. Jacobum, à Lucia factum, probant per duos testes de visu, nempe sextum, Patrem sacristam, qui vidit brachium, & manum contractas, dum illud circumligavit funiculo, & istam immisit in pileolum Beati, & duodecimum, socium ejusdem sacristæ, qui actui præsens fuit, & pariter vidit, quòd ejusdem Luciæ manus contracta à parte interiori fecerit quoddam tartarum luteum. Addunt tertium, medicum curæ, qui in depositione sua, factâ super præcedente miraculo nono sanationis Victoriæ Sannellæ, interrogatus, an sciret, quòd B. Jacobus operatus fuerit alias gratias, vel miracula, testatus est, se vidisse Luciam cum brachio, & manu attractis, applicuisse quidem plura medicamenta pro ea curanda, sed sine effectu, postea verò audivisse ex ore ipsius Luciæ, se impetrâsse sanitatem in instanti ad intercessionem beati Jacobi.

175. 2. Relevantiam hujus miraculi satis probare se putant ex qualitate morbi, quo Lucia laboraverat; fuit enim, ùt medicus Sinibaldi existimat, paralysis cum convulsione conjuncta, sicut in priore miraculo sanationis Victoriæ. Igitur sicut istud, ita etiam illud dicendum est vires naturæ excedere: & hoc eò magis, quò diuturnior morbus fuit, & tantò altiores radices egit, ut proinde humanâ arte fuerit inexpugnabilis, præsertim cùm sanatio præsens facta fuerit absque ullo sudore, vel alia sensibili crisi, seu evacuatione. Et hanc quidem sanationem instantaneam fuisse, & perfectam, absque ullo vestigio prioris morbi, vel recidiva (quæ sunt indicia miraculosæ sanationis) confirmant testimonio prædictorum duorum testium, sacristæ, & socii ejusdem, qui etiam addunt, eandem sanationem pro miraculosa fuisse habitam ab omnibus præsentibus, & propterea, compulsatis campanis, fuisse decantatum. *Te DEum*, confectúmque publicum instrumentum, & hujus copiam missam ad urbem.

176. Respondetur ad rationes oppositas.

Ad objecta respondent iidem Postulatores. Et quidem ad 1. non deesse depositionem medici, prout constat ex *num.* 174. nec obesse, quòd sanatæ frater, aliique de hoc facto informati non fuerint examinati; quia fortè tempore examinis testium, authoritate Apostolica instituti, non ampliùs fuerunt superstites: ajunt enim, non esse verisimile, quòd isti prætermissi fuissent, si potuissent examinari: & hinc cùm juxta Rot. *decis.* 19. *n.* 2. *p.* 19. *recent.* quod non est verisimile, attendendum non sit, omissio examinis istorum miraculi declarationi obstare non debet, præsertim cùm præter dictum medici allegati, habeantur duo testes de visu *num.* 174. relati.

177. Ad 2. De propria scientia super statu morbi, quo laborabat sanata, satis deponit medicus curæ, in eodem *num.* 174. cujus depositionem coadjuvat judicium medici Sinibaldi, qui præsentem sanationem affirmavit non minùs esse miraculosam, quàm priorem Victoriæ: unde cùm præterea accedant duo alii testes, sacrista, & subsacrista, qui immediatè ante sanationem vidisse se testantur brachium, & manum contractas super statu morbi, in quo Lucia in ipso actu sanationis fuit, omnibus simul conjunctis, videtur prodire plena probatio.

178. Ad 3. Modò dicti 2. testes referunt quidem, quòd super hac specie facti erectum sit publicum instrumentum, attamen non se referunt ad contenta in prædicto instrumento, quo casu, ut bene in hoc 3. argumento dicitur, eorum depositio esset relativa, & sine relato nihil probaret; sed absolutè deposuerunt, & independèter à prædicto instrumento, illúdque solùm allegârunt ad majorem probationem facti ab ipsis recensiti.

179. Censura de hoc miraculo.

Perpensis utriusque partis argumentis, CENSEO si requisita ad miraculi declarationem pro hoc miraculo plenè probata forent, nullum fieri dubium posse, quòd hæc sanatio æquali, imò potiori jure pro miraculosa sit declaranda. Dubium autem facit 1. quia inter allegatos testes, qui de propria scientia deponere potest, est solus medicus curæ, qui præterquam, quòd pro hoc miraculo formaliter examinatus non sit, est testis unicus, qui propterea fidem plenam non facit. 2. Medicus Sinibaldi quidem enuntiat, sanationem præsentem non minùs miraculosam esse, quàm priorem Sannellæ, sed solùm ex hypothesi, quâ supponit, vera esse dicta testium: consequenter distinctum ab his testem circa speciem facti non facit. 3. Pater sacrista, & ejus socius laicus aliam scientiam de morbo Luciæ non habuerunt, quàm ex hujus narratione; neque enim brachium inspexerunt, & si inspexissent illud, tanquam imperiti artis medicæ, judicium de statu morbi ferre non potuerunt. Resolvitur ergo quoad hunc tota probatio in assertionem Luciæ, quæ, si malitiosa esse voluisset, facilè coram istis duobus testibus potuisset morbum istum confingere, & sic cum omnibus prioribus depositionibus probationem plenam integrare non valet. 4. Instrumentum publicum, quod dicitur super hac specie facti erectum, multum quidem conferret, præsertim si examinarentur testes in eo inscripti; verùm de hoc non constat satis, quòd fuerit in processu Apostolico productum, producíque illud de novo non videtur esse operæ pretium, cùm aliunde videantur adesse miracula, quæ pro Canonizatione decernenda sufficiant.

MIRACULUM XI. & XII.

Sanationis Hieronymi Francisci Barberini à nativa inversione pedum, & angina, seu musculorum gutturis inflammatione.

180. NAtus hic est 9. Martii 1690. pedibus distortis, anteriore horum parte, seu digitis assurgentibus, posteriore autem, seu calce depressa. Ut defectus hic emendaretur, dum adhuc tenella erant pueri membra, omni studio, & diligentiâ allaborârunt parentes: hinc chirurgum vocârunt: & hic quidem conabatur illos in formam connaturalem reducere; sed frustra, qui propterea ipsum deseruit, neque ampliùs ad curam rediit; neque enim consultum videbatur tenelli adhuc infantis membra post hoc experimentum ulteriùs torquere labore inutili, quippe cùm ossa, & musculi curvari, & extendi sese non sinerent: quin ob violentiam, quâ chirurgus, manu, & aliis instrumentis adhibitis, utebatur, pedésque tractabat, in eos defluxit magna humorum copia, quæ ibi stagnavit, cum ingenti dolore & incommodo patientis. Cùm bimulus esset, incedere quidem cœpit, sed super extremitatibus calcaneorum duntaxat, digitis pedum in altum erectis: hinc iterum parentes tentârunt aliam viam, quâ pedes in debitam figuram reducerentur; nam factæ sunt ei ocreæ cum pedibus ferreis, quibus pater inclusit pedes filii, ut hoc modo obtineretur eorundem rectitudo: sed puerulus, dum istæ applicabantur, deliquium passus est, ut propterea necessarium fuerit ocreas istas rursum à pedibus removere. Post biennium alterum, meliùs consolidatis membris, iterum factæ sunt ei aliæ ocreæ ferreæ: sed iterum nihil profecerunt; nam incedebat puer, ùt antea, usque ad septimum ætatis annum.

181. Septenni supervenit alius morbus, & quidem lethalis, nempe vehemens musculorum gutturis omnium inflammatio, quam medici anginam vocant, cum maxima difficultate respirandi, junctâ maligna febri. Medicus applicavit quidem varia medicamenta per dies duodecim circiter; sed pejùs semper ægrotus se habuit, atque ad extrema redactus est, quippe qui per quatuor jam dies nihil ampliùs deglutire potuit: imò etiam manna S. Nicolai, sibi porrectum, per nares ejecit. Corpus ejus erat instar cadaveris, & ad istius morem opertum muscis, quæ per os, quod pro necessaria respiratione apertum habebat, liberè ingrediebantur, & exibant. Interim in venis æstuabat maligna febris cum depressione, & inæqualitate pulsuum, ita, ut medicus jam de vita ejus desperans, morbum esse incurabilem pronuntiaverit, dicens, eum post paucas horas suffocandum.

182. In hoc statu parentes recursum habuerunt ad intercessionem B. Jacobi, qui proinde rogârunt fratrem Laicum ex Monasterio S. Mariæ novæ, ut biretum ejusdem Beati, puero periclitanti applicandum, sibi mitteret, aut secum deferret. Venit ille in comitatu alicujus Patris ex eodem Monasterio cum dicto pireto, & poculo, quo usus Beatus est, dum in vivis fuerat. Cùm utrumque Pater in mensula, cum cereis ardentibus ad hoc præparatâ, imposuisset, interrogavit ægrotum, an bibere vellet aquam ex dicto poculo: ad quam vocem ægrotus, qui antea per complures dies jacebat sensibus destitutus instar cadaveris, insperatò, & omnibus admirantibus, se elevavit è lecto, atque in isto sedens, promptè respondit se velle bibere. Tunc Pater biretum imposuit ægroti capiti, ad cujus applicationem illico muscæ, quæ antea eundem quasi obsederant, avolârunt. Sumptâ dein aquâ ex dicto poculo, illico cœpit meliùs habere, & comedere. Post tres dies per os, & nares ejecit magnam quantitatem sanguinis, & puris, & circulatione jam restitutâ, febris cessavit, ægérque convaluit ita perfectè, tanquam si nullam antea passus infirmitatem fuisset. Omnes domestici habuerunt istud pro miraculo, & ipse medicus curæ.

183. Postquam ita sanatus surrexit è lecto, adjuvante patrocinio ejusdem Beati, etiam meliùs habere se cœpit quoad inversionem, & tortuositatem pedum, semper rectiùs incedendo, ita, ut paulatim, nullo adhibito humano remedio, fuerit integrè ab ea liberatus, & intra mensem etiam pedes naturalem suam formam, & situationem acquisiverint, talésque semper permanserint. Etiam hæc restitutio pedum pro novo miraculo fuit habita, intercessioni B. Jacobi attributa. Hinc duplici beneficio devinctus pater pueri cum isto postea abiit ad Capellam Beati, gratiisque eidem tanquam authori tam insignis, & geminati quidem beneficii actis, ocreas ferreas ad parietem Capellæ in æternum gratiæ acceptæ monumentum suspendit. Plura contra hoc duplex miraculum à Reverendissimo fidei Promotore proposita sunt, quæ

184. Argumenta contra miraculum II.

Præcipuè consistunt in sequentibus. I. Esto, quòd restitutio hæc sit miraculum, non tamen potest dici esse patratum ad intercessionem beati Jacobi, cùm toto septennio, quo duravit hoc impedimentum pedum, nullo unquam tempore vel puer, vel parentes ejus invocaverint dictum Beatum, quippe ad quem tantùm habuerunt recursum occasione morbi anginæ, & febris malignæ, quæ supervenit, ubi invocatio in eum finem duntaxat facta est, ut liberaretur puer à morte, ex angina, & febri maligna imminente: proinde ex defectu invocationis non potest hoc assertum miraculum tribui Beato.

Card. de Laur. *de Miracul. B.* 20. *art.* 25. §. 2. *pag.* 634. & 636. *n.* 1103.

Vi-

185. 2. Videtur deficere requisita probatio; quia super hoc defectu non fuit examinatus medicus aliquis, vel chirurgus, nec ipse ægrotus, ideòque qualitas morbi manet in obscuro: deinde etiam non sunt examinati fratres, & sorores sanati, quos constat ex Processu ipsum habuisse: neque etiam ipse sanatus; sed pro primo extremo morbi solùm deponunt parentes, & pædagogus ipsius.

186. 3. Videtur etiam esse defectus relevantiæ; nam pedum ista intorsio fortasse non à natura, sed à dæmone mediatè, vel immediatè provenit: cujus indicium fortasse fuerunt muscæ, quæ vultum, & os sanati insederant, & ad conspectum, & applicationem pileoli Beati avolârunt, nec ampliùs redierunt.

186. 4. Nullibi in Processu invenitur justificatum, quòd pedum ad situm naturalem facta restitutio contigerit in instanti; nam testes fatentur se illam non agnovisse, nisi postquam ægrotus sanitatem ab angina, & febri recuperavit, stratúmque reliquit: deinde ipsi postulatores in informatione sua fatentur instantaneitatem deficere: imò hæc eadem instantaneitas per depositionem Patris sanati positivè excluditur, quippe qui fatetur, quòd de die in diem, consequenter successivè filius meliùs incesserit.

187. 5. Ob hunc ipsum instantaneitatis, & invocationis defectum non audet miraculosam sanationem hanc pedum pronuntiare medicus Sinibaldi in Peritum electus; & rationem præterea in contrarium etiam istam addit; quia tortuositas illa pedum non ex ossium prava collocatione probabiliter ortum habuit: consequenter per vires naturæ fieri potuit, ùt ex prægressa febri acutâ humores impacti nervis, & musculis fuerint attenuati, & convulsio paulatim relaxata; ùt enim juxta Hippocratem in Coacis convulsio febris finem affert, translato fermento febrili ad nervos, & musculorum fibras, ita econtra juxta eundem in aphorismis, *si ei, qui à convulsione, aut distensione tenetur, febris supervenit, morbum solvit*, liquatâ nimirum à febrili calore, & fermentatione materiâ musculos contrahente, & per venas proximas partim reassumptâ, partim etiam transpiratâ.

Plures adhuc opponuntur rationes dubitandi contra 12. Miraculum liberationis ab angina, & febri.

188. Argumenta contra miraculum 12. Nam 1. de tempore, quo duravit hic morbus solus pater sanati deposuit, scilicet, quòd duraverit per duodecim dies; reliqui autem testes non specificant durationem: consequenter quoad hoc punctum remanet unicus testis, qui secundùm vulgata nihil probat. Neque obstat, quod testis 33. dicat, durâsse febrim, & anginam per dies plures; quia pluralitas verificari potest in biduo, ùt per *l. ubi numerus ff. de testib. c. pluralis locutio* 40. *de Reg. jur. in* 6. dicunt Mascard. *de probat. concl.* 838. *n.* 12. Escobar. *de ratioc. c.* 18. *n.* 43. Rot. *decis.* 528. *n.* 3. *p.* 1. *recent.*

2. Idem pueri pater dicit, medicamenta ægroto fuisse applicata per Josephum Soldanum; Soldanus autem ait, se quidem vocatum fuisse, sed ob ætatem provectam, tempestatem valde pluviam, & non bene tum constitutâ valetudinem accedere ægrotum non potuisse: hinc juxta depositionem ipsius (quod etiam confirmat ægroti mater) ad hunc ivit chirurgus quidam vocatus Martius, aliàs Mapellus Violante. Testis autem trigesimus quintus Dominicus Violantes de facto proprio dicit, per seipsum medicamenta fuisse applicata ægroto. 189.

3. Circa relevantiam vis fieri non potest in eo, quòd ob anginam ægroti salus fuerit desperata; nam eâdem ægritudine, ùt ait in depositione sua medicus, tenebantur tum omnes alii de illa domo, & valetudini pristinæ restituti sunt. Horum autem restitutio miraculosa non fuit, ergo, spectatâ indole morbi, sine miraculo etiam liberari potuit præsens ægrotus, præsertim cùm adhibita eidem fuerint opportuna remedia, & hæc cum omni diligentia, ac debito tempore. Cùm ergo versemur in ægritudine arte medicamentorum, & naturâ suâ sanabili, maximè in puero vegeti caloris, & adhuc lateat, quamdiu ægritudo illa duraverit, eique promptè, & opportunè fuerit consultum per medicamentorum applicationem, non est, cur tribuatur miraculo ejus sanatio; nam miraculo tribuendum non est, quod ex causa naturali, vel artificiali provenire potest. 190.

4. Videtur deficere instantaneitas; nam post applicationem reliquiarum, & invocationem Beati non statim secuta est perfecta sanitas, sed solùm ægrotus sensit aliquod levamen, ipsam verò sanitatem perfectam post aliquot primùm dies, ubi purulentam illam materiam ejecit ex ore, & naribus, acquisivit. 191.

5. Minùs reponi miraculi ratio potest in supposito, quòd ad impositionem reliquiarum Beati super puerum, muscæ, quæ ingenti agmine per ejus vultum discurrebant, & in ipsomet ore infirmi resederant, statim aufugerint, nec rediverint; nam aliter deponit Religiosus, qui applicuit Beati reliquias, quique fuit testis de visu quoad utrumque extremum, quippe qui ait, quòd ægrotus ad reliquiarum attactum fecerit motum, & quasi tremorem, cœperitque muscas evomere, quas habebat in ore, usque dum omnes abigerentur: unde ad potentiam expurgativam, non ad miraculum referri debet muscarum ejectio. Denique 192.

193. 6. In hac curatione non videtur ulla miraculi necessitas, aut evidentia ex hoc etiam capite; quia illa adscribi potest evacuationi naturali, factæ per ejectionem sanguinis, & purulentæ materiæ ex ore, & naribus. Si apostematis rupturam diebus antecedentibus artis suæ remediis tentâsset medicus curæ, fortasse non ad 12. diem, & extremam perniciem ægrotus perductus fuisset: fecit tamen natura, quod ars non potuit, vel neglexit, ex qua apostematis ruptura subitò fieri transitum ab extremo periculo ad certam salutis spem, quotidie in praxi observamus.

194. Argumenta pro utroque miraculo. His tamen non obstantibus, per sequentia argumenta pro utroque miraculo fortiter contendunt Postulatores. Et 1. quidem dicunt, probationem hujus duplicati miraculi, mediante invocatione B. Jacobi, haberi ex tribus testibus de visu respectu utriusque extremi, nempe 25. 31. & 33. quibus addunt duos alios testes: unum scilicet, nempe 30. de auditu à Patre ægroti quoad inflammationem gutturis; de visu autem quoad pedum inversionem, eorúmque postea recuperatam rectitudinem, scilicet medicum curæ, qui morbum anginæ judicavit insanabilem, & salutem infirmi desperatam, vidítque etiam inversionem pedum, eósque postea ad naturalem situationem, & figuram redactos; alterum verò, nempe 35. de visu quoad anginam, & de auditu quoad hujus sanationem, qui omnes judicârunt, utrumque esse miraculum, patratum ad intercessionem beati Jacobi.

195. 2. Quod ad anginæ sanationem attinet, relevantia non videtur habere difficultatem; quamvis enim angina sit morbus naturaliter curabilis, nihilominus juxta gradus suæ intensionis fit etiam lethalis, & incurabilis, ùt cæteri morbi, qui quando vincunt naturam, redduntur incurabiles, & desperati. Determinatio autem, quando ad talem gradum ascendant, relinquitur judicio medicorum, qui tanquam periti in arte ex pluribus observationibus, ab ipsis fieri solitis, cognoscunt, quando natura vincat morbum, vel ipsa vincatur à morbo, ut nihil ampliùs spei supersit ad salutem. In casu præsenti ita crevit inflammatio gutturis, ut impeditâ ferè ex integro respiratione, & transmissione ciborum, etiam jusculi tenuissimi, ægróque jam per quatriduanam inediam viribus, & spe destituto, medicus desperaverit curam, & morbum pronuntiaverit penitus incurabilem, mortémque proximè imminentem prædixerit, ùt concurrentibus his indiciis, judicandum esse docet

Hippocr. *l. 3. de præsag. n. 18.*

Et tamen ad invocationem Beati à Parentibus factam, & applicationem pileoli ejusdem, statim cœpit habere meliùs, & convalescere, atque intra triduum integræ sanitati est restitutus. Neque deficit legitima horum probatio; nam 1. de ipso morbo, & violentia ipsius deponunt testis 25. 31. 32. 33. juxta quorum depositionem post frustra applicata per 12. dies medicamenta, ægrotus ad extrema redactus est, ita, ut nihil ampliùs glutire posset, muscæ corpori ejus insiderent tanquam cadaveri, per quatriduum jaceret, sensibus destitutus, & medicus salutem ejus pronuntiaverit desperatam. 2. de applicatione reliquiarum Beati, quæ est invocatio realis,

ùt notat cum aliis Matthæucc. *Pract. Canoniz. tit. 3. c. 4. n. 14.*

fatentur iidem testes, qui referunt ad parentum preces, allatum esse ad ægrotantem poculum cum pileolo Beati, hoc capiti ejusdem à Patre, qui attulit, impositum, ex illo porrectam aquam ad bibendum. 3. de subita restitutione sanitatis pariter constat; nam, ùt testes iteratò allegati sunt attestati, quamprimùm puer aquam bibit ex poculo, cœpit aliquantùm comedere & meliùs se habere; post tres dies autem, ejectâ ingenti materiæ purulentæ copiâ, integræ restitutus est sanitati, quod testes quatuor relati, & ex horum attestatione omnes domestici pro miraculo habuerunt.

196. 3. Multò magis pro miraculosa habenda videtur reductio tortuositatis pedum ad statum naturalem, præsertim eo modo facta, quo in casu præsenti illa contigit; nam, ùt iidem quatuor testes deponunt, postquam puer, ab angina liber, surrexit è lecto, sine ullo medicamento etiam meliùs se habere cœpit in pedibus, semperque rectiùs incedendo, tandem, transacto mense, pedes suos ad formam naturalem restitutos vidit; quod novo miraculo ipsi testes 25. 30. 31. & 32. & juxta istorum dicta domestici, & vicini habuerunt, præsertim verò Pater, qui cum filio sic consanato postea Capellam Beati adiit, pro hoc duplici beneficio gratias eidem egit, ibique ocreas pueri ferreas suspendit. Neque immeritò; nam vires naturæ tantæ non sunt, ut possit nervis, musculis, ossibus, & articulis, in una figura, ac forma constructis, & jam in ea obduratis, novam formam inducere, & si hoc posset natura, illud potiùs fecisset, quando membra pueri adhuc erant magis tenera, magisque flexibilia: ideóque hujusmodi innovationes, & conversiones partium solidarum judicandæ miraculosæ, & supra vires naturæ, prout advertit

Matt. *de Canoniz. Sanct. p. 4. c. 7. n. 13.*

Neque obstat, quòd integra restitutio non fuerit facta in instanti, sed paulatim, & successivè; nam quamvis anceps sit quæstio inter TT. & Canonistas, an instantaneitas sit de substantia, & necessitate miraculi, omnes tamen concordant, quòd si ad invocationem alicujus servi DEI vis, & malitia morbi in instanti retrocessit, seu re-

remissa fuit, tunc sanatio censeri miraculosa debeat, etiamsi per aliquod temporis spatium vestigia, & accidentia morbi remaneant, & paulatim cessent.

Castellin. *de cert. glor. Sanct. pag.* 307. §. *ut miraculum.* Franc. *var. c.* 29. *n.* 44. *cum duob. seqq.* & ita pariter senserunt auditores Rotæ in Canonizationibus S. Francisci de Paula, S. Didaci, & S. Hyacinthi teste Contilor. *de Canoniz. Sanct. c.* 17. *n.* 9. *& seqq.* & in Canonizatione S. Theresiæ *miracul. ult. post mortem.*

197. Argumenta contra miraculum 11. solvuntur ab ijsdem Postulatoribus in sequentem modum. Ad 1. non est novum, quòd Sancti, invocati pro sanatione unius morbi, plures contulerint gratias. Exemplum duplex habemus in S. Francisco: unum de muliere Sancto eidem devota, super cujus caput delapsus est ingens lapis: nam cùm omnes crederent, eam mortuam, ad invocationem hujus sancti Patroni sui non solùm surrexit illæsa à lapide, qui super eam cecidit, sed nec dolorem capitis, quo perpetuò laborabat, ampliùs sensit. Alterum de operario, qui cooperabatur ad ornandum Sancti altare, qui ab ingenti pariter lapide, super eum cadente, fuit coopertus, & ideo ab omnibus reputabatur mortuus, implorato tamen ab adstantibus patrocinio Sancti, sanus evasit, & insuper à defectu, quem patiebatur in oculis, liberatus fuit. Utrumque istud exemplum refertur

Respondetur ad argum. contra Mirac. 11.

in Chronicis S. Francisci, primum quidem *p.* 1. *l.* 3. *c.* 6. *pag.* 293. *lit. D.* secundum *l. cit. c.* 7. *lit. A. pag.* 294.

198. **Ad 2.** Examen medici adest, qui, licèt principaliter vocatus fuerit pro curando morbo anginæ, attamen à matre patientis certioratus etiam fuit non solùm de sanatione filii à prædicto morbo, per intercessionem B. Jacobi obtentâ, verùm etiam de restitutione pedum, quos ipse distortos antea viderat, & tum ad formam naturalem compositos aspexit, ideóque bene deponere potuit de utroque extremo. Chirurgus examinari non potuit; quia, postquam frustra dirigere conatus est pedes pueri, quem potiùs læsit, quàm juvit, dimissus fuit à cura, & sic ignorabat secundum extremum sanationis, de primo autem sufficiens, imò abundans probatio habebatur ex quatuor testibus de visu, ita, ut opus non fuerit hanc imperfectam probationem ab ipso exquirere. Ob similem rationem fortassis omissum est etiam examen fratrum, & sororum sanati; quia fortasse credebatur, sufficere, quòd de utroque extremo deposuerint parentes ejusdem cum duobus aliis testibus: nec immeritò; nam juxta Divinum oraculum in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum. Sanatus tempore examinis vix habuit novem annos, consequenter de jure ad testificandum admitti non potuit, cùm saltem excedere debeat 12. annos, ut quis validè testimonium ferre possit *l. testium.* §. *lege Julia.* & ibi Gloss. *lit. V. ff de testib.*

Ad 3. Inprimis nullum unquam apparuit indicium dœmoniacæ invasionis in ægroto isto. Et etsi constaret, inversionem hanc à dœmone provenisse, tamen sanatio obtenta fuit ad intercessionem Beati, nullo prævio exorcismo: consequenter adhuc miraculo tribuenda est, prout inter miracula recensentur energumenorum liberationes factæ à Christo, Apostolis, & aliis viris sanctis, quorum in proposito meminit 199.

Matt. *de Canoniz. Sanct. p.* 3. *c.* 16. *à n.* 1.

Aliud est, si dœmones expellantur per exorcismos Ecclesiæ; tunc enim istorum fuga non refertur miraculo expellentis, quippe qui tunc agit non propria virtute, sed exorcismi, & Ordinis, & sic potiùs ex opere operato, quàm operantis.

Ad 4. Ut suprà *num.* 196. dictum est, nihil derogat excellentiæ miraculi, si per aliquod temporis spatium vestigia, & accidentia morbi remaneant, & paulatim remittantur, dummodo ejus malitia (ùt in casu præsenti videtur contigisse) statim devicta, & debellata fuerit. 200.

Ad 5. Testes omnes, & ipsemet medicus curæ potiùs firmare videntur, quòd inversio illa pedum provenerit ex prava partium structura, ossiúmque collocatione non recta: quod vitium nullo artis præsidio, aut febrili ardore emendari, aut solvi potest. 201.

Ad rationes dubitandi contra 12. miraculum respondent Postulatores, per has non derogari isti miraculo. Ad 1. dictum testis 33. intelligi debet juxta circumstantias, in ejus depositione descriptas. Dixit autem, quòd ægrotus laboraverit febri maligna, eique plura medicamenta applicata fuerint, quod juxta modum ordinarium medendi non fit tantùm intra biduum, sed tamdiu, quamdiu febres durare, & judicari solent. Solent autem, teste Hippocrate, & medicorum turbâ, durare, & judicari febres 12. vel 14. diebus. Igitur de tot dierum spatio intelligenda etiam erit asserta ab hoc teste dierum pluralitas. 202.

Respondetur ad argumenta contra Mirac. 12.

Ad 2. Miraculo solùm obest contrarietas testium quoad substantiam facti. Ad hanc autem non pertinet, an hic, vel ille medicus, aut chirurgus curam ægroti habuerit, vel medicamenta ipsi porrexerit: consequenter si est in hoc contrarietas aliqua, ista attendi non debet. Deinde idem ipse Dominicus Violantes aliàs Martius, Mazzullo, seu Mappello vocabatur. 203.

Ad 3. Alii in domo eadem morbo eodem angina laborabant, sed non ita graviter; nam medicus, qui & illos, & præsentem infir- 204.

infirmum curavit, de isto solo pronuntiavit ejus sanitatem desperatam esse. Ex diversitate autem prognostici perspicua redditur major ingravescentia morbi, quo ipse vexabatur præ aliis. Quòd puer iste fuerit vegeti caloris, quódque ei fuerit promptè consultum per medicamentorum applicationem, nihil refert; nam his non obstantibus, ejus salus fuit desperata à medico, quòd morbus naturam jam devicerit, ita, ut medicamentis non ampliùs cederet.

205. Ad 4. Postulatores eandem dant responsionem, quam suprà *num.* 200. In præsenti casu puer statim, atque aquam bibit, ex urceo beati Jacobi sibi porrectam, convaluit, & primùm post tres dies evomuit magnam quantitatem puris mixti cum sanguine: quod naturaliter evenire non poterat; quia adhuc peccans materia retinebatur in gutture: unde perspicuum videtur reddi, quòd hostis priùs à potentia supernaturali debellatus fuerit in suo tentorio, ibique ad triumphum retentus, sed jussus, ne interim noceret, & postea expulsus, quod est majus miraculum.

206. Ad 5. Licèt per se expulsio muscarum potuisset fieri ad potentiam purgativam, in hoc tamen casu vires ægroti, utpote jam prostratæ, & à materia morbifica adhuc in gutture existente, oppressæ, hoc nequiverunt efficere: consequenter non naturali virtuti, sed miraculo videtur omnino tribuendum esse.

207. Ad 6. Adhuc standum videtur miraculo; quia ægrotus puerulus, sensibus, & viribus destitutus, & inediâ quatuor dierum consumptus, ad vocem patris, biretum Beati applicantis, statim locutus est, & sponte absque alieno auxilio surgens, sedit in lecto, aquam bibit, & cibum sumpsit, & quidem istud, antequam, disrupto gutturis apostemate, purulenta materia fuisset ejecta. Unde medicus Sinibaldi hoc facit argumentum: Vel primo illo die, quo puer se levavit in lecto, ibique residens cibum sumpsit, tumor, & apostema prædictum adhuc aderat, vel jam recesserat. Si aderat, miraculum evidens est, quòd idem tumor, qui antea deglutitionem, loquelam, respirationem, & sensus omnes impediebat, ad Beati invocationem impedimento esse cessaverit. Si retrocessit, miraculum pariter est, quòd ægrotus cœperit tunc resurgere, quando ruere in deterius debebat; ut enim Hippocratis doctrina est, anginæ, *si dissipentur neque tuberculo foras converso, ac collecto, neque pure leniter, ac sine dolore excreato, neque in diebus judicatoriis, periculosæ sunt.* Et paulò infrà: *Anginosi in linguis humores, citra signa disparentes, perniciosi, & dolores, disparentes citra manifestam causam, periculosi sunt.* In casu præsenti autem ægrotus convalescere cœpit nullo tumore foras in cervicem converso, nullo adhuc pure excreato, nec dies duodecima erat judicatoria; nec aliud signum, aut causa manifesta poterat assignari, ergo totum miraculo tribuendum, quod ut manifestius fieret, apostema per tres adhuc dies disrumpi tardavit ad tollendam omnem suspicionem, ne fortè naturalis fuerit sanatio per rupturam apostematis, & remotionem peccantis materiæ.

His utriusque partis argumentis bene ponderatis, sequens ferendum videtur judicium; cùm miracula, quæ pro Canonizatione alicujus Beati decernenda deservire possunt, debeant esse certa, & indubitata; in præsenti autem casu inter cætera quoad primum miraculum pedum restitutorum usque ad perfectam istorum consanationem intercesserit spatium unius mensis, quoad secundum anginæ, evomitio illa puris cum sanguine mixti videatur habere, rationem crisis, & evacuationis naturalis, quo posito, sanatio vires naturæ non excessisset, idcirco censeo, huic duplici miraculo non esse ulteriùs insistendum, cùm de singulis, ad miracula tertii generis (inter quæ ista connumerari deberent) requisitis nondum manifestè liqueat. Ex omnibus hactenus deductis videtur liquere 208. Censura de his Miraculis.

Responsio ad quæstionem principalem.

An constet de relevantia eorum, quæ supervenerunt post indultam beato Jacobo venerationem?

NAm, quod ad miracula attinet, CENSEO de his constare, ita, ut ratione istorum nullum sit impedimentum, quin S. Sedes procedere ad supremos honores Beato huic decernendos possit. Inter duodecim proposita miracula, relicto in suo esse miraculo 7. sanationis Ignatii Avelloni ab apostemate, & contractura, ubi juxta *num.* 119. non satis constat de genere morbi; miraculo item 10. Luciæ Tramæ sanatæ à paralysi, in quo secũdùm dicta *num.* 179. deficere videtur requisita probatio; & miraculo 11. ac 12. liberationis Hieronymi Francisci Barberini à nativa inversione pedum, & anginæ, ubi juxta *num. præc.* evomitio purulentæ materiæ videtur habuisse rationem crisis, & evacuationis naturalis, & in utroque dubium est, utrùm adsit sufficiens instantaneitas: cætera miracula videntur à S. Congregatione approbationem mereri. 209.

Et quidem, quod attinet ad 1. & 2. miraculum *incorruptionis cum flexibilitate*, hujúsque continuationis, videtur dubium nullum esse. Nam 1. *Incorruptio* hæc, & flexibilitas hucusque continuata satis constat ex inspectione oculari, aliisque testibus *num.* 23. allegatis, ut adeò de sufficientia 210.

tia probationis constet. 2. similiter ex eadem inspectione oculari, & aliorum testium depositionibus juxta *num.* 22. constat, hanc incorruptionem nullo humano artificio esse procuratam: proinde 3. necessariò est adscribenda miraculo, cùm utì dictum est *num.* 24. ex naturæ necessitate omnis homo post mortem vergat ad corruptionem. Et hinc 4. incorruptio, & flexibilitas diuturna corporis, si nullo humano artificio procurata sit, passim in beatificationum, & Canonizationum causis pro miraculosa habetur, ùt ostensum est *num.* 25. Allegari autem pro Canonizatione solùm poterit continuatio incorruptionis, & flexibilitatis post decretam beatificationem; quia, quæ antè observabatur, ad istam duntaxat conducebat, non verò locum habere potest in causa Canonizationis, ubi solùm considerantur miracula superventa beatificationi: & sic non duplex, sed unum erit miraculum, cui etiam in unum, tanquam qualitas, licet accidentaliter solùm adhærens, conjungi potest

211. *Odor suavissimus* ex Corpore Beati fragrans. Nam 1. odoris ex Corpore defuncti emanantis suavitas, ut dictum est *num.* 41. pro præclaro sanctitatis indicio, & juxta *num.* 42. pro miraculoso semper haberi solet, si talis sit, ut nullo humano artificio sit procuratus, sed omnem naturalem odorem vincat, ùt insinuatum est *num.* 43. talis autem 2. fuit, & est odor ex Corpore B. Jacobi profluens, ùt constat ex *num.* 44. & 45. quin iste 3. non solùm nares, sed etiam manus eorum, qui sacrum Corpus in suscepta inspectione oculari tractârunt, ad aliquot dies affecit juxta *num.* 46. Et 4. juxta dicta *num.* 47. nulli naturali odori fuit similis, sed quemcunque alium odorem excessit: ac proinde 5. eundem odorem, ùt habetur *num.* 48. Periti, ad inspectionem sacri Corporis ocularem adhibiti, ipsique judices remissoriales, cum reliquis actui præsentibus, meritò judicârunt vires naturæ superare, ac supernaturalem esse.

212. Relevantia miraculi 4. quo loco recenseturr *liberatio civitatis Neapolitanæ ab incendio Vesuvii*; potissimùm consistere videtur in tribus. 1. In magnitudine periculi; nam globus ille igneus, ùt præter complures alios testes de auditu à suis Majoribus, deponunt septem testes de visu proprio, magnis passibus contra dictam civitatem accelerabat, talisque fuit, ut sufficiens esset ad illam totam incinerandam. 2. In liberationis ab hoc periculo instantaneitate; nam, ùt iidem testes affirmant, quamprimùm Beati Corpus in ara super ponte S. Mariæ Magdalenæ ad hoc præparata depositum, & cum ejus brachio benedictio data est, illico globus ille igneus retrocessit, & præceps in mare effusus est. 3. in absentia causæ naturalis, cui retrocessio hæc, & præcipitatio adscribi possit; vel enim nullus tunc perflavit ventus, qui machinam illam igneam retroegerit, ùt testes de visu non flavisse existimant, vel si, ùt vult P. Caraffa in sua historia, nubes illa ignea, quæ à ventis magno impetu Neapolim versùs agebatur, contrariis ventis mox spirantibus, retrocedere coacta est, idipsum miraculo factum censeri debet, cùm nulla hujus repentinæ ventorum mutationis causa naturalis afferri possit. Eodem igitur jure miraculo tribuenda est hæc civitatis liberatio, quo jure inter miracula, intercessione B. Januarii, patrata, & quidem tanquam præ cæteris memorandum Ecclesia in Lectionibus, quæ in hujus festo recitantur, recensuit, quòd simili modo *erumpentes olim è Vesuvio monte flammarum globos, nec vicinis modò, sed longinquis etiam regionibus vastitatis metum afferentes, extinxit.* Neque obest, quòd in hoc periculo civitatis, invocatum sit etiam patrocinium S. Januarii, quippe cujus sacrum caput cum sanguine ad eundem pontem deportatum est; nam licèt tunc ferocia minacis illius incendii aliquantùm fuerit mitigata, postea tamen sævire perrexit atrocius: unde cùm tum primùm periculum cessaverit, quando in conspectum montis Corpus Beati venit, huic soli videtur adscribenda totalis liberatio: & hìc fuit sensus ipsius civitatis, quæ totam hanc rei seriem in fornice Capellæ Beati ad perpetuam rei memoriam pingi fecit, & de novo Canonizationem ejusdem solicitavit.

213. Miraculum 5. & 6. *Liberationis Nicolai Gambacurtæ à cæcitate, & hujus reincidentia* pro uno perfecto, & consummato servit, ac meretur adscribi inter vera miracula. Nam 1. ùt ex dictis *num.* 90. constat morbus iste vel fuit omnino incurabilis, vel saltem difficillimæ, & longæ curationis, quia complicatus cum adnato panno, seu albugine, & convulsione nervorum. 2. Fuit autem juxta *num.* 91. sanatus in instanti, & quidem, ùt patet ex *num.* 92. absque ullo medicamento adhibito (cùm à chirurgis patiens fuerit derelictus) & nullâ præcedente crisi, cùm non constet hanc intervenisse, & si intervenisset, morbum istum in instanti sanare non poterat. 3. Hæc instantanea sanatio juxta *num.* 93. facta est eo ipso momento, quo ægrotus in Capella Beati hujus opem imploravit. Neque obstat, quòd paulò postea, quàm primâ vice lumen oculorum ad urnam Beati obtinuit, in eandem cæcitatem reinciderit; quia, ùt notatum est, *num.* 100. iterata recuperatio visûs miraculum auget, ipsáque reincidentia præter naturæ ordinem, Deo puniente temeritatem applicati medicamenti, facta est, ut secutâ rursum restitutione visûs ostenderetur, illuminationem hanc soli virtuti supernaturali tribuendam. Et hinc 4. utramque visûs restitutionem,

ùt dictum est *num.* 94. omnes facti istius conscii pro miraculo agnoverunt, ipsamque sanationem juxta *num.* 93. adscripserunt intercessioni beati Jacobi. Cùm proin 5. tota hæc series facti cum omnibus necessariis circumstantiis juxta *num.* 88. satìs, & abunde probata sit, dubium de hoc miraculo esse non potest.

214. Similis conditionis videtur esse miraculum octavum *instantaneæ sanationis Liborii Avelloni ab inveterata epilepsia*; nam, ùt ex *num.* 138. ubi tota deductio, super hoc miraculo facta, in summam collecta videri potest, constat. 1. morbus, quo Liborius laboravit, fuit epilepsia inveterata, & vehemens. 2. medicamenta applicata nihil profuerunt, ita, ut medici deseruerint curam. 3. si curari naturaliter potuisset, indiguisset curâ longiori, donec evacuaretur fermentum epilepticum. 4. talis gradatio in præsenti observata non est, sed eo ipso momento, quo intercessio B. Jacobi est implorata, gratia sanitatis, & quidem perfecta est consecuta: ut adeò 5. constet de utroque extremo, morbi scilicet ante sanationis instans in gradu supremo positi, & sanationis in instanti subsecutæ. Et quidem 6. hæc omnia sunt ritè probata.

215. Nec minorem approbationem meretur miraculum nonum *sanationis instantaneæ Victoriæ Sannellæ ab ariditate, attractione, & stupiditate brachii sinistri, & manûs ob apoplexiam, sive veram, & perfectam paralysim.* Quod iterum ostendit compendium deductorum super isto miraculo *num.* 169. positum. Nam 1. paralysis ista fuit juncta cum privatione sensûs, & motûs, & complicata cum convulsione: consequenter 2. si non omnino incurabilis, saltem difficillimæ curationis extitit. 3. de invocatione B. Jacobi pro sanatione à Victoria implorati constat. 4. eo ipso in instanti, quo ipsâ preces cum lacrymis fundente, à Patribus Monasterii pro eadem recitati sunt ad eundem Beatum consueti versiculi, sanatio perfecta obtenta est: adeóque 5. constat de relevantia miraculi. Insuper 6. omnium, ad miraculi declarationem requisitorum adest probatio legitima. Et 7. miraculum assertum non tollit supervenientia sudoris in ipso actu sanationis, quippe qui perfectam sanationem operari non poterat, nisi vis ejus per supernaturalem, & extraordinarium DEI concursum fuisset adjuta.

216. Erunt autem miracula hìc posita collocanda in ordine miraculorum tertii generis; nam in hoc genere ponuntur ea miracula, quæ vires artis, & naturæ superant non absolutè, sed quoad modum faciendi tantùm, quatenus in eodem instanti, quo morbus v. g. depellitur, antiquæ vires totaliter redeunt, quod non possunt facere natura, & ars, quippe quæ non operantur, nisi per alterationem subjecti; alteratio verò, cùm motum requirat, & motus non fiat in instanti temporis, successionem exigit, & in instanti nunquam contingit. Tales autem videntur esse omnes sanationes hìc recensitæ, quippe cùm morbi, his sanationibus miraculosis curati, non fuerint absolutè per artem, vel naturam incurabiles: machina illa ignea, juxta recensita sub miraculo 4to. civitati Neapolitanæ incumbens, arceri naturaliter contrario vento poterat; ipsa etiam corpora mortua per artem, quamvis non hoc modo, scilicet cum flexibilitate, & fragrantia odoris omnem naturalem odorem superantis, per multa sæcula conservari possunt, ùt exempla demonstrant. Consequenter eadem miracula retinebuntur sub tertio miraculorum genere.

Viso hoc, aliorúmque Peritorum judicio miracula quædam ex supradictis à Summo Pontifice approbata fuerunt sequenti Decreto: 217.

Neapolitana, seu Asculana

Canonizationis B. Jacobi de Marchia Ord. Min. Observantium S. Francisci.

HAbita fuit die 29. Januarii præsentis añi 1726. Congregatio generalis sacrorum Rituum coram SS. D. N. Benedicto XIII. in causa Neapolitana, seu Asculana beati Jacobi de Marchia Ordinis Minorum observantium S. Francisci, propositóque à Reverendissimo D. Cardinali S. Clementis dubio: *An constet de relevantia eorum, quæ supervenerunt post indultam eidem Beato venerationem in casu, & ad effectum &c.* Sanctitas sua, auditis tum DD. Consultorum, tum Reverendissimorum DD. Cardinalium suffragiis, resolutionem eo die differre censuit, ut priùs de more in tam gravi deliberatione divinam opem imploraret. Id verò cùm jam abundè diebus sequentibus peractum esset, tandem die 2. Februarii Festo Purificationis B. M. V. postquàm idem Sanctissimus Dominus Noster Missæ solemni in Sacello Pontificio interfuisset, & cœlestis auxilii lumen iterum invocâsset, expletis jam functionibus Ecclesiasticis, sacrisque vestibus adhuc indutus, in aula Sacrarii Apostolici agens Deo Optimo Maximo gratias, eò quòd difficultates hactenus excitatæ jam fuissent sublatæ, declaravit, se approbare tanquam miraculosam *continuationem, post beatificationem, incorruptionis Corporis prædicti Beati, ejúsque flexibilitatis*; nec non tanquam miraculum in secundo genere etiam post beatificationem secutum, *odorem è sacro Corpore illius emanantem.* Denique tanquam miracula tertii generis, sextum *sanationis instantaneæ Nicolai Gambacurtæ à cæcitate*, & nonum *repentinæ sanationis*

nis Victoriæ Sannella à paralysi in brachio, & manu sinistra. Hæcque omnia adeò ritè & rectè peracta sunt, UT AD SOLEMNEM BEATI JACOBI CANONIZATIONEM PROCEDI POSSIT.

Die 2. Februarii 1726.

F. Cardinalis Paulutius Præfectus.

(L.S.)

N. M. Tedeschi Archiep. Apamenus Sac. Rit. Cong. Secret.

CONSILIUM II.

In Causa juris conferendi Scholasteriam in Ecclesia Cathedrali Basileensi.

SUMMARIUM.

1. *seqq. Facti species.*
14. *Episcopus de jure communi habet intentionem fundatam super collatione beneficiorum per totam Diœcesin: excipiuntur beneficia Ecclesiæ Cathedralis, & ubi aliud obtinet consuetudo, Privilegium &c. n. 21.*
15. 22. *Ubi non servatur jus commune, requiritur legitima probatio consuetudinis, Privilegii &c.*
16. 23. *Utraque pars prætendit antiquiorem possessionem.*
17. *Propria confessio est optima probatio: nisi processerit ex errore. n. 24.*
18. 25. *Exhibenda sunt documenta in forma probante, vel confugiendum ad testes.*
19. 26. *Capitulationes sede vacante factæ, si in præjudicium Electi vel Ecclesiæ cedunt, sunt invalidæ: valent autem, si nullum præjudicium afferunt.*
20. 27. *seq. Impugnantur & defenduntur vicissim actus utrinque exerciti.*
29. *seq. Deciditur controversia pro Reverendissimo Capitulo.*

FACTI SPECIES.

1. IN Cathedrali Ecclesia Basileensi, præter Episcopalem, ab antiquo sex aliæ constitutæ sunt Prælaturæ, nempe Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Custoria, Cantoria, & Scholasteria. His singulis per statuta speciales præscriptæ sunt functiones, quarum tamen pars minima post residentiam Basileâ aliò translatam, nunc exercetur. Præposituræ, & Decanatûs dignitates per specialia indulta S. Sedis sunt electivæ, ea tamen conditione, ut Præpositi novi, à Rmo Capitulo electi, confirmatio semper, Decani verò solùm tum petatur à Pontifice, si Decanatus vacaverit mense Apostolico. Archidiaconatus, Custoria, Cantoria à tempore immemoriali conferri solent ab Episcopo p. t. Diœcesin gubernante. Ratione Scholasteriæ jam olim mota, & de præsenti rursum movetur controversia, an hujus collatio ad Celmum, an verò ad Rmum Capitulum spectet.

2. Non fuit eadem quoad hoc, ut acta Rmi Capituli docent, semper observantia. Documentum ex iis, quæ ad manum hodie sunt, antiquissimum dat Bulla Callisti Papæ III. emanata Anno 1454. ubi idem Pontifex *reservavit Canonicatum, & Præbendam in Ecclesia Cathedrali Basileensi, tunc proximè vacaturam, pro Magistro, vel Baccalaureo in Theologia, per Capitulum in eorum Canonicum recipiendo, cui de illa hac prima vice, & quoties in antea vacaverit, perpetuis futuris temporibus provideatur, sub onere, ut in dicta Ecclesia certis anni temporibus sermones ad Clerum facere, & ad populum prædicare, & certis diebus singularum hebdomadarum, in loco ad hoc deputato, in Theologia legere teneatur:* in quem finem etiam *alteram Capellaniam in altari S. Joannis Baptistæ retro summum Altare prædicto officio Prædicaturæ adnexuit, univit, incorporavit, & perpetuò confirmavit cum omnibus juribus, & pertinentiis suis &c.* prout legitur in nobis exhibito extractu *num. 2.*

Alterum privilegium super officio Prædicaturæ impetratum fuit ab Alexandro Papa VI. sub dato Ann. 1500. vi cujus, *dum Magister, sive Doctor reperiri non poterit,* permissum est, *ut ex tunc Capitulum possit acceptare Baccalaureum, sive Licentiatum in Theologia, aut in jure Canonico, qui sit amovibilis ad nutum Capituli, ita, ut cedente, vel decedente moderno Prædicatore, toties quoties Capitulum poterit prædictis personis Canonicatum, & Præbendam, & unitam Capellaniam conferre &c.* ex alio extractu dicto *n. 2.* 3.

Anno 1508. post mortem Dni de Hattstatt, de utraque Præbenda, Canonicatûs 4.